DE SOPHOCLIS QUAE VOCANTUR ABUSIONIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

LUDOVICUS KUGLER

HANNOVERANUS.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMV.

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt Ed. Schwartz et J. Wackernagel,

Examen rigorosum habitum est die XII. mens. Jul.
a. MCMV.

PARENTIBUS ET SORORI

S.

CAPUT I. PROLEGOMENA.

Cum demonstrare conatus sim, quomodo Sophocles verborum significationes mutaverit, vereor ne cui denuo tractare videar quae pridem tractata sunt. nam viri docti in annotationibus quae ad Sophoclis fabulas explicandas scriptae sunt non raro egregie atque prudentissime de vocabulorum significatione disseruerunt. tamen usque ad hoc tempus, ni fallor, deest disputatio qua ea conferantur atque comparentur. Cum vero omnia complecti non potuerim, ea tantum ex eis vocabulis, quibus καταχρηστικῶς usus est Sophocles, elegi, quorum in usu vel potius abusione imprimis ars atque subtilitas poetae appareant. Haud sane ignoro etiam Euripidis magisque Aeschyli fabulas eodem modo tractandas esse. Sed cum tempus prohiberet ne de omnibus copiose agerem, de unius Sophoclis, quo nemo in significationibus mutandis vel novandis audacior fuit, fabulis disserui.

Primo autem quaeramus, quot sint abusionum genera. Per se enim abusio dici potest, si quis ita utitur vocabulis, ut per metaphoram significatio fiat, quae a primaria notatione aliena est. Ut clarius sit quod sentio pauca afferam exempla. Vocabulum φύλοπις apud Homerum notat tumultum proelium caedem (cf. Δ 15. 65. Ε 379 κτλ., λ 314, π 268, ω 475). Idem significat φύλοπις.

ceteris poetis apud quos rarissime invenitur vocabulum. Apud Sophoclem autem in El. v. 1072 de puellarum rixa dicitur: *πρὸς τέκνων διπλῆ φύλοπις οὐκέτ' ἐξισοῦται φιλοτασίῳ διαίτᾳ.* Peculiari ergo modo Sophocles usus est vocabulo. Transtulit enim vocem qua apud Homerum proelium inter exercitus factum significatur ad rixam Electrae atque sororis.

Sed haec metaphora poetis licita, non abusio est. Non enim arbitror Sophoclem eam explicationem vocabuli epici novisse, de qua docemur scholio ad. Hom. Il. Z. 1: *φύλοπις δὲ ὁ ἐμφύλιος πόλεμος κακῶς παρά τισι λέγεται. ἀλλ' ἡ μετὰ βοῆς φῦλα συνάπτουσα ἀμφότερα τῶν τε Τρώων καὶ Ἑλλήνων μάχη.*

Eodem fere modo res se habet in vocabulo quod
μίασμα. est *μίασμα.* Apud Homerum non exstat, Aeschylo et Sophocli est macula quae piaculo eget praeter vs. OT 313 quo loco Tiresiam alloquitur Oedipus:

> *ῥῦσαι σεαυτὸν καὶ πόλιν, ῥῦσαι δ' ἐμέ,*
> *ῥῦσαι δὲ πᾶν μίασμα τοῦ τεθνηκότος.*

Qui versus alio modo explicari non possunt quam: serva te ipsum et civitatem, serva me atque omnes qui caede illa inquinati sunt. *πᾶν μίασμα* idem notat atque *πάντες οἱ μιασθέντες.* Ergo hoc loco ad personam translatum est vocabulum. Neque hoc neque eiusmodi vocabula inter abusiones habenda.

Omnino caveas ne translationem pro abusione habeas. Quae enim significationum varietas per translationem
πικρός. efficiatur, docemur e. g. adiectivo *πικρὸς* tractato. De huius adiectivi etymologia atque significatione egregie egit Philippus Buttmannus in Lexilogo suo I. p. 17. Qua de causa hoc loco breviter illud vocabulum tractabo.

Primaria vocabuli significatio (= acutus [1]) non solum apud Homerum sed etiam apud Sophoclem invenitur, qui certe Homerum imitatus est.

Trach. 681: *ὧν ὁ θήρ με Κένταυρος πονῶν*
πλευρὰν πικρᾷ γλωχῖνι προυδιδάξατο.

Clarum est Sophoclem, cum scripserit *πικρᾷ γλωχῖνι*, in mente habuisse illud Homericum *πικρὸς ὀιστός.* [2]) Similis est locus Ai. 1024 quo de gladio usurpatum est vocabulum *πικρός*:

οἴμοι, τί δράσω; πῶς σ' ἀποσπάσω πικροῦ
τοῦδ' αἰόλου κνώδοντος [3]); *ὦ τάλας ὑφ' οὗ*
φονέως ἄρ' ἐξέπνευσας.

Sed miror et Iebbium qui et hoc et Trach. loco primarium vocabuli significationem non perspexit (vertit enim „cruel“ vel „bitter“) et Lobeckium hoc loco verum effugisse vocabuli sensum. Nam cum scholiasta annotet sub lemmate *τοῦδ' αἰόλου κνώδοντος*: *Τῆς ἀκμῆς τοῦ ξίφους, τῆς ὀξείας εἰς τὸ καίνειν ὡς ὀδούς· ὀδοῦσι γὰρ περιβάλλεται ὀξέσιν· ἀπὸ δὲ τοῦ ἄκρου τὸ ξίφος δηλοῖ*, Lobeckius non cognovit nihil explicare scholiastam nisi *κνώδοντος* quod ab *ὀδοὺς* derivat. Immo ad *αἰόλου κνώδοντος* pertinere explicationem ratus ita intellexit: „Scholiasta *ὀξύν* interpretatur, veterem ut videtur de metalepsi haeresin secutus, quia *αἰόλος* interdum significat celer, celer autem dicitur *ὠκύς*, huic vero syno-

---

1) cf. Buttmann l. c. „sehe man *πικρός* in seinem ältesten Gebrauch im Homer an, so wird man gleich erkennen, daß „penetrant“ „scharf“ die Grundbedeutung ist“.

2) Δ 118. *αἶψα δ' ἐπὶ νευρῇ κατεκόσμεε πικρὸν ὀιστόν.* cf. 217 χ 8 etc.

3) De voce *κνώδων* cf. Lobeck ad Ai 1024.

nymum est ὀξύς.“ αἰόλος hoc loco idem significat atque e. g. Il. H. 222 (σάκος αἰόλον), i. e. fulgens, micans.

Iam autem et ὀξὺς et πικρός translate dicitur de gustibus, ut significatus fiat acerbi, amari. Et inde a Sophocle transfertur ad sonus

OC 1610. ὁ δ' ὡς ἀκούει φθόγγον ἐξαίφνης πικρόν.
Phil. 190. Ἀχὼ τηλεφανὴς πικραῖς
οἰμωγαῖς ὑπακούει.

Significatio: acerbus amarus posterior est. Inde significatus: gravis (dolor) odiosus hostilis etc, deducti sunt.[1])

Interdum vocabulum primo obtutu per abusionem adhibitum credas, sed falso. Huius generis e. g. est

ἄστομος. vox ἄστομος. Proprie dicitur ἄστομος homo, qui os non habet, inde ὁ μὴ δυνάμενος λέγειν cf. Soph. fragm. 73, Hesych. 1. p. 306. ἄστομος· ὁ μὴ δυνάμενος λέγειν. Σοφοκλῆς Ἀκρισίῳ. Sed in El. v. 724 de equis dicit poeta:

ἔπειτα δ' Αἰνιᾶνος ἀνδρὸς ἄστομοι
πῶλοι βίᾳ φέρουσι.

Quo loco explicant scholia ἄστομοι = σκληρόστομοι. Quam interpretationem omnes fere interpretes acceperunt. Quomodo autem ἄστομος idem atque σκληρόστομος notare potest? Dicitur vocabulum de equis qui regenti non obsequuntur sed vi feruntur. Sunt ergo effrenati. Kaibelius nos habere quo defenderetur haec

---

1) cf. Buttmann l. c.: „wovon (von der Grundbedeutung scharf, penetrant) also das bittere nur eine Unterabteilung ist, die erst späterhin die herrschende Bedeutung von πικρός ward. Im Homer heißt ein scharfer, penetranter Geruch (der Robben) πικρὴ ὀδμή, eine Wurzel, die auf eine Wunde gelegt wird πικρή, und so denn auch Salzwasser, Thränen und übertragen der Schmerz.

interpretatio, sibi persuasit. Exstat vocabulum a nomine *στόμα* derivatum, quod notat frenum: *στόμιον.* cf. El. 1462, Tr. 1261, Eur. Hipp. 1223 (proprie significat id quod ad *στόμα* pertinet, i. e. frenum). Sed inde *ἄστομος*, ut sit effrenatus nullo modo explicari potest. Sunt potius *πῶλοι ἄστομοι* equi quasi os non habentes quo frenentur et ergo effrenati. *ἄστομος* igitur hoc loco non ut videtur *καταχρηστικῶς* usurpatum est.

Unum addam vocabulum quod etsi non per abusionem a Sophocle usurpatum est tamen satis dignum videtur quod tractetur, quia nonnulli viri docti abusionem intellexerunt.

Adiectivum verbale *ἐπακτὸς* apud Sophoclem propriam significationem omnino amisit. Non enim ita utitur poeta vocabulo ut significetur adductus sed ut notetur alienus. Ai. 1296: *ἐπακτός.*

αὐτός τε μητρὸς ἐξέφυς Κρήσσης, ἐφ' ᾗ
λαβὼν ἐπακτὸν ἄνδρ' ὁ φιτύσας πατὴρ
ἐφῆκεν ἐλλοῖς ἰχθύσιν διαφθοράν.

Schol. *ἐπακτὸν ἄνδρα* recte explicat *τὸν μοιχόν.* Simili modo Trach. 259:

στρατὸν λαβὼν ἐπακτὸν ἔρχεται πόλιν

nihil aliud significat *ἐπακτὸν* quam *ξένον* atque item OC 1525:

ὥς σοι πρὸ πολλῶν ἀσπίδων ἀλκὴν ὅδε
δορός τ' ἐπακτοῦ γειτόνων ἀεὶ τιθῇ

δόρυ ἐπακτὸν significat mercenarium militem.[1]) Idem sensus inest vocabulo Tr. 491:

---

1) De verborum constructione falso Iebbius cum Reisigio iudicavit, qui *γειτόνων* pendere a *δορὸς ἐπακτοῦ* censuit, cum ad *ἀλκὴν* referendus sit genetivus *γειτόνων.* Recte Brunckius distinxit

κοὔτοι νόσον γ' ἐπακτὸν ἐξαρούμεθα
θεοῖσι δυσμαχοῦντες.

Quo loco νόσον ἐπακτὸν ita explicat scholiasta: ἐπακτὸν δὲ ἐνταῦθα ἀντὶ αὐθαίρετον, cui adstipulatur Iebbius. Censuit ergo hoc loco Sophoclem adiectivum verbale non ad ἐπάγειν rettulisse sed a medio ἐπάγεσθαι derivasse. Hac autem explicatione non opus est. Loquitur Deianira de zelotypia (νόσος) quae a suis moribus aliena sit (ἐπακτός). Qua de causa hoc in vocabulo nihil Sophoclem novasse putaverim.

Sed mirum in modum erravit Zielinski hunc Trach. versum interpretatus in opusculo suo „Excurse zu den Trachinierinnen" (Philologus LV p. 533, 4 et annotatio 14): „Zu νόσον γ' ἐπακτὸν citiert Nauck selber Hipp. 318 μῶν ἐξ ἐπακτοῦ πημονῆς ἐχθρῶν τινος (sc. νοσεῖς), jedoch ohne den einzig richtigen Schluß zu ziehen, daß νόσος ἐπακτὸς auch hier = ἐπηλυσίη πολυπήμων, die durch fremden Zauber verursachte Liebeskrankheit (scil. des Herakles) ist. Und doch ist diese Stelle anders überhaupt nicht zu verstehen. Soeben hat Deianira ihre Lage als ein μηδὲν αἰσχρὸν μηδ' ἐμοὶ κακόν (448) bezeichnet; wie käme sie dazu, sie jetzt einen νόσος zu nennen? Soeben war νόσος die Krankheit des Herakles (445); wie kann das Wort jetzt Deianiras traurige Lage bezeichnen? Und gar ἐπακτὸς? Das kann nach der geläufigen Erklärung nur Jole sein, wozu wieder ἐξαρούμεθα nicht paßt." —

---

cf. Hermannum: „ut is tibi multorum vice clipeorum externorumque subsidio arcessitorum militum contra vicinos semper sit praesidio (Brunck)" .... socii esse possunt etiam qui non sunt vicini, contra vicinos autem, nominatim Thebanos, praesidium se praebiturum esse et supra dixerat Oedipus et hic debet iterare: id quod nunc universe, mox v. 1533 distinctius facit.

Quam interpretationem omnino intellegere non possum. Sane *νόσος* malam Deianirae condicionem significare non potest. Deianira de suis quibus hoc tempore afflicta sit rebus non loquitur. Dicit autem: non accipiam *νόσον* proelio contra deos inito quo me vinci necesse est (*δυσμαχοῦντες*). Quid autem sit *τὸ τοῖς θεοῖς δυσμαχεῖν* elucet versibus 441 seqq.

Ἔρωτι μέν νυν ὅστις ἀντανίσταται
πύκτης ὅπως ἐς χεῖρας, οὐ καλῶς φρονεῖ.
οὗτος γὰρ ἄρχει καὶ θεῶν ὅπως θέλει
κἀμοῦ γε· πῶς δ' οὐ χἀτέρας οἵας γ' ἐμοῦ;
ὥστ' εἴ τι τὠμῷ τ' ἀνδρὶ τῇδε τῇ νόσῳ
ληφθέντι μεμπτός εἰμι, κάρτα μαίνομαι,
ἢ τῇδε τῇ γυναικὶ τῇ μεταιτίᾳ
τοῦ μηδὲν αἰσχροῦ μηδ' ἐμοί κακοῦ τινος.

Hoc loco etiam dicitur qui sit intellegendus morbus, scil. *τὸ μαίνεσθαι*, i. e. zelotypia.

Postquam Lichas omnia plane exposuit quae primo occultaverat a Deianira petit 486:

στέργε τὴν γυναῖκα καὶ βούλου λόγους
οὓς εἶπας (sc. 441 seqq.) *ἐς τήνδ' ἐμπέδως εἰρηκέναι.*

Tum Deianira profitetur se ita facturam esse; iterum dicit quomodo de hac re sentiat 490—492. Vocabulum *νόσος* quinquaginta fere versibus intercendentibus de duabus diversis rebus dici non mirum est.

Pergit Zielinski: Mit Jebb aber und dem Scholion *ἐπακτὸν* = *αὐθαίρετον* zu deuten geht nicht an, erstens weil der Beigeschmack „von außen her" dem Worte untrennbar anhaftet, zweitens weil *ἐξαίρεσθαι* unmöglich „auf sich nehmen" bedeuten kann, die anderen Erklärungen sind von Jebb selbst widerlegt. Neque ego

scholiastae atque Iebbii explicationem comprobo. Tamen dicendum est, per se *ἐπακτόν* esse posse *αὐθαίρετον*, vel potius ad *ἐπάγεσθαι* referri posse adiectivum verbale, cf. Isocrates I, 23, quo loco de ὅρκῳ ἐπακτῷ agitur. Equidem ut supra dixi interpretor *νόσον ἐπακτόν* zelotypiam a Deianira alienam. (Plat. rep. 9, 573. *ἐπακτὸς νόσος* = *νόσος οὐ σύμφυτος*. locum contulit Ed. Schwartz.) Zielinski autem ad hanc inauditam interpretandi rationem perductus est admirabili sua totius Trach. fabulae interpretatione, quae tam ingeniosa quam falsa est.

Non recte ut suam interpretationem defenderet contulit Iebbius cum hoc Trach. versu Eur. Phoen. 343:

Σὲ δ' ὦ τέκνον καὶ γάμοισι δὴ κλύω
ζυγέντα, παιδοποιὸν ἁδονὰν
ξένοισιν ἐν δόμοις ἔχειν,
ξένον δὲ κῆδος ἀμφέπειν . . . .
. . . γάμων ἐπακτὰν ἄταν.

Falso interpretatus est scholiasta: *ξένοισιν ἐν δόμοις· ταῦτα διὰ μέσου. τὸ γὰρ ἑξῆς· σὲ δ' ὦ τέκνον ἀκούω ἐπὶ ξένης ζευχθῆναι καὶ ξένην συγγένειαν ἔχειν καὶ ἄτην γάμων αὐθαίρετον, τουτέστιν ἣν αὐτὸς σεαυτῷ ἐπηγάγου.*

Dicitur immo *ἄτη γάμων ἐπακτὴ* matrimonium peregrinum, quae causa erat calamitatis.

Abicienda etiam vocabula vel significationes, quas e singulis dialectis Graecis acceperunt poetae tragici. Non raro enim discrepant significatus apud gentes singulas. Notum est Sophoclem non pauca ab Herodoto et Ionibus assumpsisse. Huius quoque rei pauca exempla affero.

Dignae quae notentur sunt significationes vocabuli
πρόσχημα. *πρόσχημα* quae inveniuntur apud Sophoclem. Duobus

enim Electrae locis quibus solis dictum est vocabulum Sophocli, non eundem habet sensum. El. 525 Clytaemestra loquitur:

πατὴρ γάρ, οὐδὲν ἄλλο, σοὶ πρόσχημ' ἀεὶ
ὡς ἐξ ἐμοῦ τέθνηκεν.

Hoc loco praetextum notat vocabulum, quae usitata est vocabuli vis cf. Hesychium (*πρόσχημα* = *πρόφασις, ὑπόκρισις, προκάλυμμα*) et Suidam (*πρόσχημα παρακάλυμμα τοῦ ἤθους, ἡ πρόφασις*) qui hunc Electrae versum affert. Sed male interpretatus est alterum Sophoclis locum El. 682:

κεῖνος γὰρ ἐλθὼν εἰς τὸ κοινὸν Ἑλλάδος
πρόσχημ' ἀγῶνος Δελφικῶν ἄθλων χάριν.

Suidas hoc quoque loco *πρόσχημα* vertit *παρακάλυμμα*, sed idem esse constat atque decus. Quo modo autem hoc significationum discrimen explicandum sit, de hac re non constat inter viros doctos. Plerique enim acceperunt explicationem, quam praeter alios apud Iebbium legimus: „*πρόσχημα* *anything ‚put forward' here (El. 682) means that which is put forward as an ornament or glory*". Quae tamen explicatio verisimilis non est, cum *προέχειν* numquam sit: pro decore aliquid praetendere. Immo *προέχειν* notat praetendere aliquid maxime sui defendendi causa. Quo ex sensu derivanda est significatio medii = *προφασίζεσθαι*, quae invenitur e. g. apud Sophoclem Ant. 80: *σὺ μὲν τάδ' ἂν προὔχοι'*. Huc etiam referenda est notatio substantivi *πρόσχημα* = *πρόφασις*. Sed non solum transitive, sed etiam intransitive usurpatur verbum *προέχειν*, ut significet prominere, superare cf. Phil. 138. *τέχνα γὰρ τέχνας ἑτέρας προὔχει.* Ad hunc intransitivum verbi sensum recte Kaibelius refert alteram substantivi significationem

= decus (ἀγῶνος πρόσχημα = τὸν προέχοντα ἀγῶνα), cf. Polyb. III, 15, 3: καινὴν πόλιν ἥτις ὡσανεὶ πρόσχημα (caput) καὶ βασίλειον. Sed hanc significationem posteriores acceperunt e dialecto Ionico. Invenimus enim apud Herodotum cf. V, 28: ἡ Μίλητος ... τῆς Ἰωνίης ἦν πρόσχημα.

Euripides etiam vocabulo σχῆμα dat significationem decoris. Interdum enim σχῆμα idem significat atque πρόσχημα = scil. πρόφασις. Qua de causa aliam quoque vocabuli πρόσχημα vim Euripides tribuit vocabulo σχῆμα in Andr. v. 1. Ἀσιάτιδος γῆς σχῆμα. Recte scholiasta, qui explicat σχῆμα· πρόσχημα κάλλος εὐπρέπεια κόσμος ἀξίωμα. Haec vero est abusio.

συμβόλαιον. Similiter res se habet in vocabulo συμβόλαιον. Scriptoribus Atticis et posterioribus notat pactum conventum contractum. Alium autem sensum vocabuli praebet Sophocles in Philoctetis versu 884 quo idem significat συμβόλαιον atque σύμβολον:

ὡς οὐκέτ' ὄντος γάρ τὰ συμβόλαιά σου
πρὸς τὰς παρούσας ξυμφορὰς ἐφαίνετο.

Hoc quoque loco Herodoti auctoritate commotus esse videtur Sophocles ut vocabulo significationem daret quae ab usitata Attica vi aliena sit. Apud Herodotum enim significat συμβόλαιον documentum vel signum V, 92, 7. πιστὸν γάρ οἱ ἦν συμβόλαιον, ὃς νεκρῷ ἐούσῃ Μελίσσῃ ἐμίγη.

Sed non solum Herodotum et Iones imitatus est Sophocles. Qua de re docemur substantivi quod est ῥέθος. ῥέθος significationibus. Unde derivandum sit vocabulum non constat. Notandum est non eundem esse usum vocabuli apud Homerum et apud tragicos poetas. Ab Homero enim tribus locis usurpatus est pluralis nume-

rus (*X* 362 ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη Ἄιδόσδε βέβηκε cf. *X* 68. *Π* 856). Significantur τὰ μέλη. Alius autem sensus exstat apud tragicos.

Soph. Ant. 529. νεφέλη δ' ὀφρύων ὕπερ αἱματόεν
ῥέθος αἰσχύνει.

et Eur. Her. 1205. ὦ τέκνον πάρες ἀπ' ὀμμάτων πέπλον,
ἀπόδικε, ῥέθος ἀελίῳ δεῖξον.

Significatur τὸ πρόσωπον. Eodem modo vocabulum intellexerunt Apoll. Rhod. II, 68 et Theocrit. XXIX, 16. Quos poetas Homerum non secutos esse mirum videtur. Tolluntur autem difficultates scholiis in Il. *Π* 856 ὅτι πάντα τὰ μέλη ῥέθη Ὅμηρος προσαγορεύει, οἱ δὲ Αἰολεῖς μόνον τὸ πρόσωπον et ad *X* 68. ῥέθη δὲ τὰ ζῶντα μέλη, δι' ὧν ῥέζομέν τι· Αἰολεῖς δὲ τὸ πρόσωπον· καὶ ῥεθομαλίδας τοὺς εὐπροσώπους φασί. cf. Eustath. 1090, 27. Ergo ex Aeolum lyrica poesi vocabuli significationem ῥέθος = πρόσωπον tragici poetae atque ceteri receperunt. Homeri contra vocabuli usum invenimus apud Lycophronem

173 ἐν δὲ δεμνίοις
τὸν ἐξ ὀνείρων πέμπτον ἐστροβημένον
εἰδωλοπλάστῳ προσκαταξανεῖ ῥέθει.

cui ῥέθος est σῶμα et apud Pseudo-Theocritum XXIII, 39. ἀμφίθες ἐκ ῥεθέων σῶν εἵματα καὶ κρύψον με.

Iam unum loquendi genus superest quod cum abusionibus confundi non debet, i. e. si imagines aut similitudines persequuntur poetae. His enim in rebus summa audacia esse solent. Unum proferam exemplum, quo tota Sophoclis ars loquendi apparet. Audacissimus enim est usus verbi προμνᾶσθαι apud Sophoclem. Cuius προμνᾶσθαι.
verbi propria vis est: alii nuptias conciliare. Inde simpliciter conciliare significat cf. Plutarch. Lucull. p. 425 D.

εὐθὺς εἶχε τὸν Κέθηγον ἐπαινέτην, ἢ προμνώμενον αὐτῷ Κιλικίαν. Sed e significatione pro alio nuptias ambeundi non solum conciliandi sed etiam hortandi et suadendi vis fit, cf. e. g. Plat. Menex. 239 C. quo loco imago nuptias conciliandi retinetur: ὧν δὲ οὔτε ποιητής πω δόξαν ἀξίαν ἐπ' ἀξίας λαβὼν ἔχει ἔτι τ' ἐστὶν ἐν ἀμνηστίᾳ τούτων πέρι μοι δοκεῖ χρῆναι ἐπιμνησθῆναι ἐπαινοῦντά τε καὶ προμνώμενον ἄλλοις ἐς ᾠδάς τε καὶ τὴν ἄλλην ποίησιν αὐτὰ θεῖναι πρεπόντως τῶν πραξάντων. Suadendi significatio etiam apud Plutarchum (de recta audiendi ratione p. 38 B.) inesse vocabulo mihi videtur cum Stephanus (in thesauro ling. Graecae) et Wyttenbachius (ad hunc locum) conciliandi vim intellegant. Ξενοκράτης τοῖς παισὶ . . . ἐκέλευε περιάπτειν ἀμφωτίδας . . . . οὐκ ἀνηκοΐαν οὐδὲ κωφότητα προμνώμενος ἀλλὰ τῶν λόγων τοὺς φαύλους φυλάττεσθαι παραινῶν. Coniunctione verborum κελεύειν προμνᾶσθαι παραινεῖν verisimile fit, etiam vocabulo προμνᾶσθαι eundem inesse sensum atque verbis κελεύειν et παραινεῖν, scil. hortandi vel suadendi sensum.

Inde explicandus est usus vocabuli qui apud Sophoclem invenitur OC 1074:

ἔρδουσ' ἢ μέλλουσιν; ὡς
προμνᾶταί τί μοι
γνώμα τάχ' ἀντάσειν[1])
τᾶν δεινὰ τλασᾶν.

Hoc in verborum conexu προμνᾶσθαι significare necesse est: praesagire. Optime hunc locum explicat Iebbius: „*The bold use here comes through the notion of pleading or speaking persuavely, as the* προμνήστρια *to the*

1) ἀντάσειν Buecheleri coniectura. libri: ἂν δώσειν.

maiden on behalf the lover." Sic ex suadendi significatione fit praesagiendi sensus vocabuli.

His omnibus omissis restant abusiones propriae. Sunt autem imprimis tria abusionum genera. Primo enim fit abusio, si poeta cui vocabulo tribuit significationem, quae propria est alii vocabuli, quod cum illo vocabulo una tantum significatione congruit.

Altera abusionis ratio est, cum ex veriloquio significatio derivatur. Tertia est si adiectiva, quibus propria est activa significatio, passive usurpantur. Quas Sophoclis abusiones tractabo.

CAPUT II. DE PRIMO ABUSIONUM GENERE.

Si quae Sophocles vocabula ex epico sermone assumpsit, imprimis quaerendum est quo modo ea intellexerit et quam eis tribuerit significationem. Quamvis autem epicam significationem servare soleat, tamen non raro novum vocabulo dat sensum. Cuius rei pauca afferam exempla et causas explicare conabor.

Vocabulum *ἔγχος* apud Homerum si Alexandrinos grammaticos sequeris semper hastam significet, Sophocli et telum (e. g. Tr. 1013. 1032. OC. 699) et gladius esse solet (e. g. Ai. 95. 287. 658. 907). OC. 699 arma hostilia intellegi debent. Audacter inde *ἔγχος* pro clupeo posuit Sophocles metaphorice. OT 170: *ἔγχος.*

οὐδ' ἔνι φροντίδος ἔγχος
ᾧ τις ἀλέξεται.

schol.: *ἀλληγορικῶς ἡ βοήθεια παρὰ τὸ ἔχεσθαι. οἷον οὐκ ἔνεστι τῷ νῷ τῆς φροντίδος ἔγχος, τοῦτο δὲ οἷον τὸ*

διὰ τῆς βουλῆς καὶ προμηθείας γενόμενον ἀλέξημα καὶ ἀμυντήριον. Sagittas dicit *ἔγχη* Euripides Herc. 1098: *πτερωτὰ δ' ἔγχη τόξα τ' ἔσπαρται πέδῳ.* Sed haec omnia facile intelleguntur. Mirum autem in modum dictum invenimus vocabulum in Sophoclis fragmento 713. Etym. M. p. 313 sub voce *ἔγχος: ἔγχος τὸ δόρυ. Παρὰ τὸ ἔχω ἔχος καὶ ἔγχος. Ἰστέον ὅτι ἔγχος καὶ ξίφος καὶ δόρυ τὸ αὐτὸ οἶδεν Ὅμηρος* (Minime, ut supra dixi cf. scholl. Aristonic. Iliad. VII, 255. 273) *ὁ δὲ Σοφοκλῆς τὴν σφαῖραν ἔγχος κέκληκεν οἷον·*

τὸ δ' ἔγχος ἐν ποσὶ κυλίνδεται.

Quo modo explicanda sit abusio elucet comparatis vocabulis *ὅπλον* et *σκεῦος*. Quorum utrumque significare potest et quamlibet supellectilem et telum. Quia autem *ἔγχος* notare solet telum ut *ὅπλον* vel *σκεῦος*, alteram quoque horum vocabulorum significationem Sophocles tribuit vocabulo *ἔγχος*. Pergit. Etym. M. l. c. *καὶ τὸ πῦρ, οἷον ἔγχος ἱέμενος, τὸ τὴν ὁρμὴν ἔχον.* Quae verba corrupta ad Rhizotom. fragmentum spectare videntur, quo Hecates fax tralate dicitur *ἔγχος*.

frg. 492. *Ἥλιε δέσποτα καὶ πῦρ ἱερὸν*
τῆς εἰνοδίας Ἑκάτης ἔγχος.

ἔγχος Ἑκάτης hoc loco est Hecates insigne, scil. fax. *τὸ πῦρ ἱερὸν* est lumen lunae. Hecatae lunae et noctis deae fax tribuitur. (cf. h. Cer. 52 et vasa picta Archaeol. Vorlegebl. Ser. E, tab. I seqq.) Significatur *Ἑκάτη δαιδοφόρος.*

ἀγνώς. *ἀγνώς* apud Homerum uno loco *ε* 79 invenitur quo significat ignotum. Quam notationem (ignotus vel incognitus) et apud ceteros frequentissimam invenies nec

a Sophoclis loquendi ratione alienam. Tribus tamen locis Sophocles non passive sed active vocabulum ponit OT. 1133 loquitur nuntius:

ἀλλ' ἐγὼ σαφῶς
ἀγνῶτ' ἀναμνήσω νιν· εὖ γὰρ οἶδ' ὅτι
κάτοιδεν.

etc. Dictum est vocabulum de homine qui alicuius rei oblitus est. Contra OT 681:

δόκησις ἀγνὼς λόγων ἦλθε

non ut Iebbius aliique explicaverim active (*δόκησις* ... *λόγων*, *„a suspicion, resting on mere assertions (those made by Oedipus) and not supported by facts [ἔργα]; hence ἀγνὼς unknowing, guided by no real knowledge"*); immo passive dictum intellegi debet vocabulum. Interpretantur enim hunc versum versus 655 seqq.

Oed. *φράζε δή· τί φής;*
Cho. *τὸν ἐναγῆ φίλον μήποτ' ἐν αἰτίᾳ*
σὺν ἀφανεῖ λόγῳ σ' ἄτιμον βαλεῖν.

δόκησις λόγων ἀγνὼς idem fere dicit atque *ἀφανὴς λόγος*; ergo *ἀγνὼς* hoc loco passive dictum est.

Solemnis autem est significatio vocabuli in OT v. 677. Creo, quem increpitavit Oedipus, dicit: *πορεύσομαι σοῦ μὲν τυχὼν ἀγνῶτος, ἐν δὲ τοῖσδ' ἴσος*, i. e. te mei ignarum, i. e. iniquum in me nactus sum. Hoc ergo loco per abusionem eodem sensu dictum est vocabulum atque *ἀγνώμων*; quod adiectivum proprie notat consilii vel mentis expertem, inde autem dicitur de eo qui *οὐ συγγιγνώσκει* (cf. e. g. OC 86

ὦ πότνιαι δεινῶπες, εὖτε νῦν ἕδρας
πρώτων ἐφ' ὑμῶν τῆσδε γῆς ἔκαμψ' ἐγώ,
Φοίβῳ τε κἀμοὶ μὴ γένησθ' ἀγνώμονες.)

Ceterum non primum Sophoclem activam significationem dedisse vocabulo *ἀγνώς*, recte monuit Iebbius collato Pind. Pyth. IX, 58.

οὔτε παγκάρπων φυτῶν
νήποινον οὔτ' ἀγνῶτα θηρῶν.

ἄμπυξ Homero *ἄμπυξ* est vinculum quo constringuntur crines *X* 469 [1]). Eodem sensu exstat apud posteriores. Porro significat funiculum quo equorum comae continentur atque denique dici potest de equorum freno, ut *ἀμπυκάζειν* est aut equum frenare aut coronare aliquem et *ἀμπυκτήρ* frenum equorum. Eodem modo dicit Sophocles frena *ἀμπυκτήρια* OC. 1068. Prorsus autem diversa significatio vocabuli exstat uno Sophoclis loco. Phil. 676 seqq. chorus de Ixione dicit:

λόγῳ μὲν ἐξήκουσ', ὄπωπα δ' οὐ μάλα,
τὸν πελάταν λέκτρων ποτὲ τῶν Διὸς
κατὰ δρομάδ' ἄμπυκα δέσμιον ὡς ἔβαλεν παγκρατὴς
Κρόνου παῖς.

κατὰ ἄμπυκα δέσμιον recte interpretatus est scholiasta *κατὰ τὸν τροχὸν δεδεμένον.*

Propria vocabuli *ἄμπυξ* vi idem fere significatur atque *κύκλος*. Quod vocabulum autem non solum circulum, coronam sed etiam rotam, i. e. *τροχόν* significare potest. Qua de causa etiam vocabulo *ἄμπυξ* Sophocles rotae notationem tribuit. Accedit quod etiam vocabulum *τροχός* frenum significat ut *ἀμπυκτήρ* et *ἄμπυξ* cf. (Xen.) Eq. X, 6. *ὁ μὲν λεῖος τοὺς τροχοὺς εὐμεγέθεις ἔχων.*

In Soph. Phil. loco deminuitur sane *κατάχρησις* addito vocabulo *δρομάδα*, tanta tamen audacia usus est

1) Helbig, das homerische Epos, p 219.

Sophocles, ut viri docti *ἄμπυκα* corrigere male conati sint.

Vocabulum *ἀολλής* derivandum est a verbo *εἴλω* (*ἐόλημαι*). Significat coactum conductum confertum. cf. *Ψ* 233. *ἀολλέες δ' ἠγερέθοντο. υ* 40 *οἱ δ'* (sc. *μνηστῆρες*) *αἰὲν ἀολλέες ἔνδον ἔασιν* (ut nos dicimus „in Haufen, in Menge“). Etiam apud Sophoclem Phil. 1469 ita intellegendum est: *ἀολλής.*

χωρῶμεν δὴ πάντες ἀολλεῖς.

Sed Trach. 512 non de multis hominibus vel rebus dicitur vocabulum sed de duobus tantum hominibus (de Hercule et Acheloo) *οἱ τότ' ἀολλεῖς* | *ἴσαν ἐς μέσον ἱέμενοι λεχέων.* Contulit Hermannus versum Mosch. II, 48.

δοιοὶ δ' ἕστασαν ὑψοῦ ἐπ' ὀφρύος αἰγιαλοῖο
φῶτες ἀολλήδην.

Scholiasta ad Trach. locum annotat: *ἀολλεῖς· καταχρηστικῶς εἶπεν ἐπὶ δύο τὸ ἀολλεῖς· ἐπὶ πλήθους γὰρ λέγεται· ἢ ἀολλεῖς ἀντὶ τοῦ λίαν ἀλέντες· Ὅμηρος „οἴμησεν δὲ ἀλείς“* (*χ* 308) Altera explicatio certe falsa est. Sed manifestum est, quomodo abusionem audere potuerit Sophocles. Non raro significatus vocabuli *ἀολλεῖς* cum vocabuli *ὁμοῦ* significatione convenit (= universi, cuncti). Inde igitur aliam quoque significationem vocabuli *ὁμοῦ* transtulit Sophocles ad vocabulum *ἀολλεῖς* (= simul). Moschus loco collato Sophoclem imitatus esse videtur.

Apud Homerum modo quamvis vario *ζῶμα* semper significat vestimentum. Etiam apud ceteros poetas indumenti significatio inest vocabulo. Apud Sophoclem autem in El. v. 452. *ζῶμα.*

ἃ ἔχω δὸς αὐτῷ, τήνδ' ἀλιπαρῆ τρίχα
καὶ ζῶμα τοὐμὸν οὐ χλιδαῖς ἠσκημένον

significatur ζώνη. Recte iam explicuit scholiasta: **σύμφωνον τοῦτο τῷ** (v 190) *ᾧδε μὲν*

ἀεικεῖ σὺν στολᾷ.

ζῶμα δὲ νῦν τὴν ζώνην δηλοῖ οὐ τὸ ἔνδυμα, ἵνα τούτῳ στέφῃ τὸν τάφον ἀντὶ μίτρας· δίδωσι γὰρ τὸ ζῶμα ἀντὶ ταινίας. i. e. adhibet (Sophocles) τὸ ζῶμα pro taenia.

πορθμός. Homero πορθμός est fretum. Quae usitata est vocabuli significatio, cf. δ 670 seq.: *ὄφρά μιν αὐτὸν ἰόντα λοχήσομαι ἠδὲ φυλάξω ἐν πορθμῷ Ἰθάκης τε Σάμοιό τε παιπαλοέσσης.* Sed quasi activa est vis vocabuli apud Sophoclem.

Trach. 571 *τοσόνδ' ὀνήσει τῶν ἐμῶν, ἐὰν πίθῃ,*

πορθμῶν, ὁθούνεχ' ὑστάτην σ' ἔπεμψ' ἐγώ.

Idem ergo significat atque πορθμεία, transvectio. Eandem abusionis rationem invenimus apud Euripidem Iph. A 1379:

κἂν ἐμοὶ πορθμός τε ναῶν καὶ Φρυγῶν κατασκαφαί.

τροφεῖα Contrarium fere est, quod vocabulo **τροφεῖον** vel potius τροφεῖα alium sensum dederunt Sophocles et Euripides quam ceteri. Notare enim solet τὰ τροφεῖα praemium vel mercedem nutritionis vel educationis cf. Aesch. Sept. 477. *θανὼν τροφεῖα πληρώσει χθονί.* Sophocles autem in OC 341 (nisi hoc loco apud Sophoclem non exstat vocabulum) pro ipso victu habuit:

αἱ δὲ σύννομοι

τἄξω βίου τροφεῖα πορσύνουσ' ἀεί.

Eodem sensu utitur vocabulo Euripides in Jon. v. 1493:

γάλακτι δ' οὐκ ἐπέσχον οὐδὲ μαστῷ

τροφεῖα ματρὸς οὐδὲ λουτρὰ χεροῖν,

qui tamen in eiusdem fabulae v. 852 alteram quoque significationem praebet: *τροφεῖα δεσπόταις ἀποδούς.*

Vocabuli ποταίνιος quae fuerit primaria significatio nondum constat inter viros doctos. Iam veteres grammatici primarium sensum non perspexisse videntur. Ineptissima est explicatio scholiastae ad Aesch. Prometh. 102: ποταίνιον· τὸ ἀπροόρατον, ἀπὸ τῆς πρὸ προθέσεως καὶ τοῦ αἶνος, ὁ λόγος, ἤγουν τὸ μὴ γενόμενον εἰς ἐμὲ καὶ δεύτερον καὶ ἄλλο. Διότι ἐγὼ προγινώσκω τὰ πάντα. Vertere solent grammatici ποταίνιον = πρόσφατον cf. e. g. schol. Ant. 849: ποταινίου· ἔστι μὲν προσφάτου· θέλει δὲ εἰπεῖν καινοῦ καὶ παρεξηλλαγμένου cf. Phot. p. 445, 13. ποταίνιος· πρόσφατος. Δώριος ἡ λέξις. ποταίνιος.

De vocabuli πρόσφατος significatione cf. Phrynichi epitomen p. 374. πρόσφατον: καὶ περὶ τούτου πολλὴν διατριβὴν ἐποιησάμην ἐπισκοπούμενος, εἰ μόνον λέγεται πρόσφατος νεκρὸς καὶ μὴ πρόσφατον πρᾶγμα, εὑρίσκετο δὲ Σοφοκλῆς ἐν τῇ Ἀνδρομέδᾳ τιθεὶς οὕτω:

μηδὲν φοβεῖσθαι προσφάτους ἐπιστολὰς (frg. 124).

cf. Lobeckium qui alia huius generis attulit exempla. Phryn. p. 374/75 „Gorgiam eadem translatione χλωρὰ καὶ ἔναιμα πράγματα dixisse notat Aristot. Rhet. III, 323. Propria huius adiectivi vis posita est in carnibus et esculentis recentibus“.

Sane semper idem significat ποταίνιος atque πρόσφατος: scil. recens. Sed cum ita eandem quoque significationem habere soleat vocabulum ποταίνιος quae est usitata vocabuli νέος, alium quoque vocabuli νέος sensum transtulit Sophocles ad adiectivum ποταίνιος. Sic enim in Ant. v. 849 queritur: πρὸς ἕργμα τυμβόχωστον ἔρχομαι τάφου ποταινίου. quo loco recte vertit scholiasta: καινοῦ καὶ παρεξηλλαγμένου, i. e. novi atque insoliti generis. Et eodem modo intellegendum videtur vocabulum in Achillis amantium fragmento (153 Stob. Flor. 64, 13):

τὸ γὰρ νόσημα τοῦτ' ἐφήμερον κακόν·
ἔχοιμ' ἂν αὐτὸ μὴ κακῶς ἀπεικάσαι.
ὅταν πάγου φανέντος αἰθρίου χεροῖν
κρύσταλλον ἁρπάσωσι παῖδες εὐπαγῆ,
τὰ πρῶτ' ἔχουσιν ἡδονὰς ποταινίους,
τέλος δὲ κτλ.

Sane glacies hiberna insoliti generis voluptates efficit pueris.

προστάτης. Plerumque significat *ὁ προστάτης* patronum vel defensorem, simul ducem vel magistratum. Non plane idem sensus invenitur in Xenophontis Cyr. III, 3, 41. Loquitur Cyrus *τοὺς οὐραγοὺς* hortatus: *χώραν ἔχετε οὐδὲν ἧττον ἔντιμον τῶν προστατῶν* [1]). *ὑμεῖς γὰρ ὄπισθεν ὄντες κτλ.* Ex toto verborum conexu apparet *τοὺς προστάτας* esse eos qui in primo agmine proficisci solent, ergo ante ceteros milites incedunt. Id tamen tenendum est, Xenophontem vocis usum non novasse sed adhibuisse locutionem militarem.

Duobus autem Oedipi Colonei locis (nam de Trach. 209 et El. 637 dici non potest utrum praestandi an defendendi significatio praevaleat) Sophocles novum sensum dedit vocabulo. Est enim *ὁ προστάτης* supplex:

1278. *ὡς μή μ' ἄτιμον, τὸν θεοῦ γε προστάτην*
οὕτως ἀφῇ με, μηδὲν ἀντειπὼν ἔπος.

1171. *ἔξοιδ' ἀκούων τῶνδ' ὃς ἔσθ' ὁ προστάτης.*

Quae abusio facta esse videtur, quia vocabulorum *προστάτης* et *ἐπιστάτης* significationes inter se confundebantur. *ἐπιστάτης.* Solet enim notare *ἐπιστάτης* ut *προστάτης*, qui homini vel rei alicui praeest. cf. e. g. Soph. Ai. 25 seqq.

ἐφθαρμένας γὰρ ἀρτίως εὑρίσκομεν
λείας ἁπάσας καὶ κατηναρισμένας
ἐκ χειρὸς αὐτοῖς ποιμνίων ἐπιστάταις.

---

1) Coniectura *πρωτοστατῶν* non opus est. cf. sub. v. *ἐπιστάτης*.

El. 76. *καιρὸς γάρ ὅσπερ ἀνδράσιν*
μέγιστος ἔργου παντός ἐστ' ἐπιστάτης.

In OC. 887 seqq. de deo protegente dicitur :
ἐκ τίνος φόβου ποτέ
βουθυτοῦντα μ' ἀμφὶ βωμὸν ἔσχετ' ἐναλίῳ θεῷ
τοῦδ' ἐπιστάτῃ Κολωνοῦ ;

Multa alia exempla invenies quae enumerare non opus est. Inde etiam de magistratibus quibusdam persaepe dicitur vocabulum.

Aliam significationem praebent Sophocles El. 762 :
δύο Λίβυες ζυγωτῶν ἁρμάτων ἐπιστάται.

et Euripides Phoen. 1146/47 :
τί μέλλετ' ἄρδην πάντες ἐμπίπτειν πύλαις
γυμνῆτες ἱππῆς ἁρμάτων τ' ἐπιστάται.

Non cum Iebbio explicaverim: „*masters, controllers of chariots*“ sed proprie dictum his locis puto vocabulum de eo, qui currum ascendit (cf. Il. P 609 *ὁ δ' Ἰδομενῆος ἀκόντισε Δευκαλίδαο δίφρῳ ἐφεσταότος.*) Tamen hi quoque Sophoclis et Euripidis loci, quamquam non usitatus inest sensus vocabulo cum illis de quibus supra dixi locis coniungi debent, quia et hic et illic vocabulum *ἐπιστάτης* referendum est ad *ἵστασθαι ἐπί τινος.*

Aliam autem significationem praebet Xenophon in Cyri institutione III, 3, 59. *ἐπεὶ δ' ὁ παιὰν ἐγένετο, ἅμα πορευόμενοι οἱ ὁμότιμοι φαιδροὶ καὶ παρορῶντες εἰς ἀλλήλους ὀνομάζοντες παραστάτας ἐπιστάτας . . . παρεκάλουν ἀλλήλους ἕπεσθαι. Ἐπιστάται* vocantur qui in agmine posteriores proficiscuntur (cf. *προστάται*). Ergo hoc loco ea vis inest praepositioni quam etiam in substantivo composito quod est *ἐπίνοια* invenimus (scil. *ἐπὶ* c. dat. = post cf. Eur. Or. 898. *ἐπὶ τῷδε δ' ἠγόρευε Διομήδης ἄναξ*).

Has autem significationes non solas esse apparet uno loco Homerico quo invenitur vocabulum. Dicitur enim de eo qui alium quendam adit, scil. de supplice.

Od. ρ 455. *οὐ σύ γ' ἂν ἐξ οἴκου σῷ ἐπιστάτῃ οὐδ' ἅλα δοίης* *ἐπιστάτης* hic, *ὅς ἵσταται ἐπί τινα.*

Quam ergo vocabuli *ἐπιστάτης* significationem Sophocles transtulit ad vocabulum *προστάτης*.

προστατεῖν. Etiam verbum *προστατεῖν* singulariter dictum exstat in Soph. El. v. 781. Queritur Clytaemestra:

780. *ὥστ' οὔτε νυκτὸς ὕπνον οὐδ' ἐξ ἡμέρας*
ἐμὲ στεγάζειν ἡδύν· ἀλλ' ὁ προστατῶν
χρόνος διῆγέ μ' αἰὲν ὡς θανουμένην.

Reliquis locis vocabulum semper significat alicui praefectum esse vel defendere aliquid. Hoc autem loco Sophocles proprio utitur vocabuli sensu.

Est enim *ὁ προστατῶν* is, qui ante aliquem stat. Explicare sane conati sunt viri docti, quasi sit tempus quod alicui praeest, ergo alicuius tyrannus est aut tempus quod omnes casus custodit. Quae explicationes quam ineptae sint demonstrare non necesse est. Neque Iebbii explicationem qui cum scholiis *ὁ προστατῶν* vertit Graece *ὁ ἐπιγενόμενος* accipere possumus. Si enim *ὁ προστατῶν χρόνος* significat futurum tempus, imperfectum *διῆγεν* nullo modo explicari potest. Immo habemus imaginem praeclaram Sophocle dignam, quam recte intellexit Kaibelius, cum explicuit: „*ὁ προστατῶν χρόνος* wird wohl nicht richtig als *πάντων προστάτης* erklärt (wie der *καιρὸς μέγιστος ἔργου παντός ἐστ' ἐπιστάτης* El. 76). Da dürfte *πάντων* oder dergl. nicht fehlen und der Sinn bliebe trotzdem unklar. Vielmehr gilt für *προστατῶν* das gleiche Objekt wie für *διῆγεν*, also *ἐμοῦ*. Die Zeit

als Person steht vor ihr, sie an der Hand führend, immer vorwärts; wohin das weiss Klytaemnestra nicht, aber sie fürchtet (ὡς) zum Tode. Ihr ganzes bisheriges, von Furcht gelähmtes Dasein ist damit geschildert." Fortasse Sophocles cum hanc significationem dedit vocabulo προστατεῖν, eam vocabuli προστάτης notationem e locutione militari assumptam in mente habuit, quam apud Xenophontem invenimus (cf. quae supra de hac re dixi).

Substantivum φᾶρος apud Homerum plerumque significat idem atque ἱμάτιον, scil. pallium quod et viri et mulieres induunt. Dicitur etiam φᾶρος pannus quo mortuorum corpora teguntur. Quae vocabuli significationes apud posteriores quoque valent. Euripides autem in Hecubae v. 1081: φᾶρος.

ναῦς ὅπως ποντίοις πείσμασι λινόκροκον
φᾶρος στέλλων

de navis velo usurpavit vocabulum permotus ut videtur Odysseae versu ε 258:

τόφρα δὲ φάρε' ἔνεικε Καλυψὼ δῖα θεάων,
ἱστία ποιήσασθαι.

Quo loco φάρεα sunt indumenta vel panni ex quibus vela efficiantur. Sed omnino ab usu Homerico alienus est sensus vocabuli in Soph. Trach. 916. Narrat nutrix se vidisse Deianiram δεμνίοις τοῖς Ἡρακλείοις στρωτὰ βάλλουσαν φάρη.

Probabilis est Iebbii sententia Sophoclem, cum saepe φᾶρος idem significet atque χλαῖνα, hoc quoque loco eam vim dedisse vocabulo φᾶρος, quae nonnullis locis vocabuli χλαῖνα vis esse potest. In Od. δ 297 iubet Helena servas:

δέμνι' ὑπ' αἰθούσῃ θέμεναι καὶ ῥήγεα καλὰ
πορφύρε' ἐμβαλέειν, στορέσαι τ' ἐφύπερθε τάπητας
χλαίνας τ' ἐνθέμεναι οὔλας καθύπερθεν ἕσασθαι.
cf. Il. Ω 644 seqq. Od. γ 349, 351, λ 189.

φοίνιος. *φοίνιος* notat apud Homerum rubidum. *αὐτίκα δ' ἦλθεν ἀνὰ στόμα φοίνιον αἷμα* σ 97, quo solo loco exstat vocabulum. Tragicis autem poetis idem notat *φοίνιος* atque *φόνιος*. Abusionem illo Homerico loco factam esse verisimile est. Videntur enim poetae tragici vocabulum interpretati esse: sanguine rubidum, sanguineum, et inde cruentum. Accedit quod similiter sonant *φοίνιος* atque *φόνιος*. (cf. Kaibelium ad El. 95).

Videmus ergo Sophoclem vocabulis epicis non raro dedisse sensum qui ab usitato significatu alienus est. Sed hoc non solum in epicis vocabulis observari potest. Et huius rei exempla afferam.

ἀκρατής. *ἀκρατὴς* apud scriptores Atticos semper notat hominem qui alicuis rei aut sui ipsius impotens est (e. g. *ἀκρατὴς ὀργῆς*, *ἀκρατὴς ἐπιθυμιῶν* etc.). Deinde passive dicitur de aliqua re quae contineri non potest. Alius autem est sensus vocis in Soph. OC. 1235:

τό τε κατάμεμπτον ἐπιλέλογχε
πύματον ἀκρατὲς ἀπροσόμιλον
γῆρας ἄφιλον, ἵνα πρόπαντα
κακὰ κακῶν ξυνοικεῖ.

Nihil aliud hoc loco dicere potest *ἀκρατὴς* quam: viribus defectus. Eodem igitur sensu exstat atque *ἀσθενὴς* ut recte interpretatus est Eustath. 790, 92. *ἀκρατὲς ἐκεῖνός φησιν οὐ τὸ ἀκόλαστον ἀλλὰ τὸ ποιοῦν πάρεσιν ὡς μὴ ἔχοντα τὸν γέροντα κρατεῖν ἑαυτοῦ.* Euripidem quoque hanc significationem novisse testatur

Hesychius s. v. ἀκρατές· ἀσθενές· Εὐριπίδης Αἰόλῳ. Quam significationem neque Sophocles neque Euripides primi dederunt vocabulo sed assumpserunt e sermone Ionico. Apud Hippocratem enim ἀκρατὴς idem est atque ἀσθενής cf. Aphor. VII, 40. Ἢν ἡ γλῶσσα ἐξαίφνης ἀκρατὴς γένηται, ἢ ἀποπληκτικόν τι τοῦ σώματος, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτο γίνεται. Etiam vocabulum ἀκράτωρ ἀκράτωρ. peculiari sensu dictum est Sophocli. Nam cum omnibus fere locis notet ut ἀκρατὴς hominem sui impotentem, in Soph. Phil. 485 προσπίτνωσε γόνασι καίπερ ὢν ἀκράτωρ ὁ τλήμων, χωλός, dicitur de homine quem vires deficiunt. Iam videamus quo modo hoc loco abusio facta sit, Saepissime ἀκράτωρ idem significat atque ἀκρατὴς (scil. impotens). Qua de causa etiam in Philoct. loco ita posuit Sophocles, ut idem notet ac ἀκρατής, scil. altera vi usurpatum (= defessus, imbecillus).

Verbum ἀμφιπολεῖν proprie significat esse circum ἀμφιπολεῖν. aliquem vel occupari aliqua re. Inde facile oritur significatio tutandi cf. Pind. Ol. XII, 1.

Λίσσομαι, παῖ Ζηνὸς Ἐλευθερίου
Ἱμέραν εὐρυσθενέ' ἀμφιπόλει, Σώτειρα Τύχα.

Quo loco idem est sensus verbi ἀμφιπολεῖν atque verbi ἀμφιβαίνειν significatus, quem praebet Homerus A 37

κλῦθί μευ, ἀργυρότοξ', ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας

cf. ι 198.

Apud Pindarum alia quoque significatio vocabuli ἀμφιπολεῖν invenitur, Pyth. IV, 271

χρὴ μαλακὰν χέρα προσβάλλοντα τρώμαν ἕλκεος
[ἀμφιπολεῖν.

Notat ἀμφιπολεῖν idem atque θεραπεύειν.

Quae abusio facile intellegi potest. Nam cum αἱ ἀμφίπολοι esse soleant αἱ θεράπαιναι, verbo ἀμφιπολεῖν

Pindarus significatione τοῦ θεραπεύειν uti potuit. Saepissime autem dicitur ita θεραπεύειν, ut sensus fiat curandi vel medendi. Qua de causa etiam verbo ἀμφιπολεῖν significatum medendi dat Pindarus loco collato.

Mirum autem in modum usurpatum exstat vocabulum apud Sophoclem OC. v. 680:

ἵν' ὁ βακχιώτας
ἀεὶ Διόνυσος ἐμβατεύει
θεαῖς ἀμφιπολῶν τιθήναις.

Exspectamus θεαὶ τιθῆναι ἀμφιπολοῦσι τῷ Διονύσῳ vel tale quid. Sed hoc loco ἀμφιπολεῖν significare debet: una versari. Equidem non dubito quin recte Iebbius contulerit hanc significationem cum eo vocabuli ἀμφίπολος sensu qui apud Homerum invenitur. Homero enim ἀμφίπολοι sunt mulieres famulae, quae tamen a servis (δμῶες) discernuntur, cf. χ 482 σὺ δὲ Πηνελόπειαν | ἐλθεῖν ἐνθάδ' ἄνωχθι σὺν ἀμφιπόλοισι γυναιξὶ | πάσας δ' ὄτρυνον δμῳὰς κατὰ δῶμα νέεσθαι. Ergo quasi comites sunt ἀμφίπολοι. Inde Sophocles verbo ἀμφιπολεῖν ita usus est, ut sensus fiat comitari aliquem vel una versari cum aliquo. cf. OT. 1107 νυμφᾶν αἷς πλεῖστα συμπαίζει.

ἄσπλαγχνος. Vocabulum ἄσπλαγχνος a Sophocle peculiariter usurpatum est. σπλάγχνα sunt Homero exta (cor, iecur, pulmo). Sophocles translate usus est vocabulo Ant. 1066:

τῶν σῶν ἐκ σπλάγχνων ἕνα
νέκυν νεκρῶν ἀμοιβὸν ἀντιδοὺς ἔσει.

Et ita fratrem et sororem appellat ὁμοσπλάγχνους Ant. 511 οὐδὲν γὰρ αἰσχρὸν τοὺς ὁμοσπλάγχνους σέβειν. Ai. 995 cor, i. e. animum dicit σπλάγχον Tecmessa:

ὁδὸς δ' ὁδῶν πασῶν ἀνιάσασα δὴ
μάλιστα τοὐμὸν σπλάγχνον.

Inde intellegendum est vocabulum *ἄσπλαγχνος* significatione ignavi positum Ai. 472:

πεῖρά τις ζητητέα
τοιάδ' ἀφ' ἧς γέροντι δηλώσω πατρί
μή τοι φύσιν γ' ἄσπλαγχνος ἐκ κείνου γεγώς.

Recte scholiasta: *φύσιν τουτέστιν ἀσθενῆ καὶ ἀλλοίαν παρὰ τὴν τοῦ πατρός· ἄσπλαγχνος δὲ ἄτολμος ταπεινὸς δειλόψυχος.* Sophocli *σπλάγχνον* esse potest *ψυχή* vel *θυμός* (ut Homero *καρδία* e. g. A 225. 395 *δ* 293). Qua de causa mirum non est, etiam nomen *ἄσπλαγχνος* pro eo quod est *ἄψυχος* vel *ἄθυμος* positum esse.

Rare apud tragicos poetas invenitur innovatus quidam perfecti *βέβηκα* usus. Apud Aeschylum Pers. 1002 legitur: *βέβηκα.*

Ξέρξης: βεβᾶσι γὰρ τοίπερ ἀγρέται στρατοῦ;

Xo.: *βεβᾶσιν, οἴ, νώνυμοι.* In Soph. Phil. 490 a Neoptolemo petit Philoctetes ut se a Lemno abducat aut in ipsius Neoptolemi regnum aut in Euboeam:

κἀκεῖθεν οὔ μοι μακρὸς εἰς Οἴτην στόλος
Τραχινίαν τε δειράδ' ἠδ' ἐς εὔροον
Σπερχειὸν ἔσται, πατρί μ' ὡς δείξῃς φίλῳ,
ὃν δὴ παλαιὸν ἐξ ὅτου δέδοικ' ἐγὼ
μή μοι βεβήκῃ.

Quibus poetis idem significat *βέβηκα* atque *οἴχομαι*, scil. *τέθνηκα* per euphemismum qui dicitur. Saepe hoc modo usurpatur *οἴχεσθαι* cf. Hom. Il. *Ψ* 101. Soph. El. 146 (*τῶν οἰκτρῶς οἰχομένων γονέων*) 1151. (*οἴχεται πατήρ*) etc., poetae enim tragici et reliqui quibus *οἴχεσθαι* idem notat atque *ἀποθνήσκειν* vel *τεθνηκέναι*, Homerum imitati sunt. Sed cum perfectum *βέβηκα* idem fere dicat ac *οἴχομαι*, scil. abii, tragici poetae ita usi sunt verbo, ut sensus fiat: mortuus sum. Solet autem attributum

quoddam addi verbo βεβηκέναι[1]), ut clarior sit significatio, cf. OT. 959 εὖ ἴσθ' ἐκεῖνον θανάσιμον βεβηκότα. Eur. Andr. 1026 βέβακε δ' Ἀτρείδας ἀλόχου παλάμαις. Sed absolute quoque positum βεβηκέναι significare posse τεθνηκέναι praeter illos Aeschyli Persarum et Sophoclis Philoctetis locos docemur OC. v. 1676.

Χο. τί δ' ἔστιν; Αν. ἔστιν μὲν εἰκάσαι, φίλοι.
Χο. βέβηκεν; Αν. ὡς μάλιστα ἂν ἐν πόθῳ λάβοις

cf. El. 1149 seqq.

δισσός. Vocabulum quod est δισσὸς apud Sophoclem solo plurali numero exstat. Significantur aut bini aut duo homines vel res. In El. 645 autem ὀνείρατα δισσὰ notant ὀνείρατα ἀμφίβολα. Quomodo explicanda sit abusio docemur collato vocabulo διπλοῦς, quod notare solet duplex. Saepe autem poetae tragici habent διπλοῖ ut δισσοὶ pro ἄμφω vel δύο. Ex significatione duplicis facile fieri potest significatus: falsi. Quam rem optime docet Quintilianus IX, 2, 69: „In primis ne sint manifestae (sc. figurae). Non erunt autem, si non ex verbis dubiis et quasi duplicibus petentur.“ Quo tamen loco minus gravis fit abusio addito vocabulo „quasi“. Et sic διπλοῦς notat duplicem, i. e. dubium, falsum in Rheso 395. φιλῶ λέγειν τἀληθὲς ἀεὶ κοὐ διπλοῦς πέφυκ' ἀνήρ.

Ergo si διπλοῦς esse potuit et δισσὸς et ἀμφίβολος quid obstabat quin Sophocles etiam vocabulo δισσὸς tribueret significatum dubii? δισσὰ ὀνείρατα ergo sunt ὀνείρατα ἀμφίβολα. Electrae versum recte intellexit

---

1) Aoristus eodem sensu exstat. Soph. OT. 832:

ἐκ βροτῶν
βαίην ἄφαντος πρόσθεν ἢ τοιάνδ' ἰδεῖν
κηλῖδ' ἐμαυτῷ συμφορᾶς ἀφιγμένην.

scholiasta: *διϲϲῶν τῶν ἀμφιβόλων καὶ διϲϲοποιῶν. ἔλυϲεν δὲ αὐτὸ εἰποῦϲα:*

εἰ μὲν πέφηνεν ἐϲθλά, δὸς τελέϲφορα
εἰ δ' ἐχθρά, τοῖς ἐχθροῖϲιν ἔμπαλιν μέθες.

Neque ut Jacobsius duo somnia intellegere possum, ut primum somnium descriptum sit vv. 417—419, secundum vv. 419—423. Nullo loco indicatur duo Clytaemnestrae somnia fuisse. Immo versu 410 (*δείματός του νυκτέρου*) et 415 (*τὴν ὄψιν*) elucet, unum tantum somnium intellegi. — De significatione vocabuli conferas Kaibeli commentarium ad El. 643.

Soph. Ant. 20:

τί δ' ἔϲτι; δηλοῖς γάρ τι καλχαίνουϲ' ἔπος — *καλχαίνω.*

explicant scholia: *καλχαίνουϲα ἀντὶ τοῦ πορφύρουϲα καὶ τεταραγμένως φροντίζουϲα. κάλχη γάρ ἐϲτιν ὁ κόλχος τῆς πορφύρας ἥτις ἐκ τοῦ βυθοῦ τῆς θαλάϲϲης ἀνιοῦϲα βάπτει τὴν καλλίϲτην πορφύραν παρ' ὃ καὶ Κάλχας ὁ μάντις* et *καλχαίνουϲα = φροντίζουϲα.* Si *κάλχη* est purpura, *καλχαίνω* proprie significare debet purpurare. Qua significatione invenitur verbum in Nicandri Theriacon carmine 641. *ὀλίγῳ δὲ πέριξ καλχαίνεται ἄνθει* (sc. *ῥίζα*). Quod vero idem quoque est atque *φροντίζειν*, hoc ut explicetur, rectam viam ostendit scholiasta, qui dixit *καλχαίνουϲα ἀντὶ τοῦ πορφύρουϲα.* Nam cum *κάλχη* significat *πορφύραν*, *καλχαίνω* idem esse debet atque *πορφύρω*. Homero autem *πορφύρειν* quater notat sollicitari, anxium esse, alicui rei consulere, cf. Il. *Φ*. 551. *ἔϲτη, πολλὰ δέ οἱ κραδίη πόρφυρε μένοντι* et Od. *δ*. 427. 572. *κ*. 309. *πολλὰ δέ μοι κραδίη πόρφυρε κίοντι.* Qua de causa audacter Sophocles eandem significationem dedit vocabulo *καλχαίνω*. *Κατάχρηϲιν* adhibere non solus ausus est Sophocles, sed alii quoque poetae. Apud Euripidem

enim Heracl. 40 Iolaus Heraclidum sorte sollicitatus dicit: ἐγὼ μὲν ἀμφὶ τοῖσδε καλχαίνων ἔπος. Lycophron autem vocabulo etiam dat vim desiderandi. 1457 loquitur Cassandra de Apolline:

πίστιν γὰρ ἡμῶν Λεψιεὺς ἐνόσφισε
λέκτρων στερηθεὶς ὧν ἐκάλχαινεν τυχεῖν.

CAPUT III.

De vocabulorum ἀρωγὸς ἐπίκουρος ἀμύνειν significatione.

ἀρωγος. Substantivum ἀρωγὴ aut 1) auxilium aut 2) defensionem aut remedium significat cf. e. g.

1) Phil. 1145. κοινὰν ἤνυσεν ἐς φίλους ἀρωγάν
OC. 1094. διπλᾶς ἀρωγὰς μολεῖν γᾷ τᾷδε καὶ πολίταις

2) Plato Legg. XI p. 919 C. τίς τῆς νόσου ταύτης ἀρωγὴ γίγνοιτ' ἄν;

Eodem modo ἀρωγὸς omnibus fere Sophoclis locis notat auxiliatorem ut ἀρωγός τινος sit aut qui quem iuvat aut qui contra hostem iuvat aliquem vel ab hoste defendit. cf. OC. 1010 seqq.

ἐγὼ νῦν τάσδε τὰς θεὰς ἐμοὶ
καλῶν ἱκνοῦμαι καὶ κατασκήπτω λιταῖς
ἐλθεῖν ἀρωγοὺς ξυμμάχους θ', ἵν' ἐκμάθῃς
οἵων ὑπ' ἀνδρῶν ἥδε φρουρεῖται πόλις.

Non plane eiusdem modi sunt duo Aiacis loci. 201 chorum Tecmessa appellat: ναὸς ἀρωγοὶ τῆς Αἴαντος et 356 Aiax ipse isdem fere verbis utitur: γένος ναΐας ἀρωγὸν τέχνας. Sunt qui vocabulum ἀρωγὸς his locis explicant: defensores (scil. navium). Et ita recte intellegeremus, si ullo tragoediae loco proelium apud naves factum commemo-

raretur. Quod non fit. Ergo *ναὸς ἀρωγοί* navis defensores esse non possunt. Immo sunt ei qui naves administrant et hoc modo iuvant. Recte scholiasta (ad Ai. 201) interpretatus est: *ἐπιμεληταί*, melius dixisset *θεράποντες*.

Nonnullis tamen scriptoribus *ἀρωγὸς* etiam defensor esse potest. Ita e. g. invenimus apud Lycophronem 1205 *ἀρωγὸς λοιμικῶν τοξευμάτων* et apud Manethonem I, 195 *κακῶν δ' οὐκ ἔσσεται ἀρωγός*. Haud aliter etiam vocabula *ἀρηγὼν* et *ἀρήγειν* duplice significatione exstant. Nonnullos tantum locos afferam quibus *ἀρήγειν* notat defendere et inde arcere et prohibere. Aesch. Sept. 119: *'Αλλ' ὦ Ζεῦ πάτερ ἄρηξον δαΐων ἅλωσιν*. Eur. Tro. 776, *παιδί τ' οὐ δυναίμεθ' ἂν θάνατον ἀρῆξαι*. Eur. Med. 1275 *ἀρῆξαι φόνον δοκεῖ μοι τέκνοις*.

Quae omnia non mirabilia cum saepissime is, qui aliquem iuvat, ab aliquo periculo defendat.

Est tamen Sophoclis Electrae locus, quo vocabulum *ἀρωγὸς* neque auxiliatorem neque defensorem significare potest.

El. 1391. *παράγεται γὰρ ἐνέρων*
δολιόπους ἀρωγὸς εἴσω στέγας
ἀρχαιόπλουτα πατρὸς εἰς ἑδώλια.

Inepte Iebbius explicat: „*Orestes is the champion not only of his fathers spirit, but also of Hades who is not regardless and of the other powers invoked by Electra from the nether world.*“ Nullo enim modo quinti saeculi poeta dicere potuit hominem deorum adiutorem esse et deorum officiis fungi. Sensus verborum clarus est; dicit enim chorus: Orestem patris ultorem adesse. Vocabulis *ἐνέρων ἀρωγὸς* nihil aliud significatur quam Agamemnonis ultor. Recte Kaibelius: „Hades und die Erinyen lassen keine Ausdeutung auf

Orest und seine Begleiter zu, es sind Begriffe der blutigen Rache, die den erregten Frauen als göttliche Gestalten erscheinen (vgl. 472 ff.) die Gegenstrophe nennt die wirklich thätige Person, den Orest, der als *ἐνέρων ἀρωγὸς* mit heimlichem Schritt, d. h. unerkannt in das Haus seines Vaters eindringt."

Clarior hic vocabuli significatus est in Soph. OT.

v. 126 *Λαΐου δ' ὀλωλότος*
οὐδεὶς ἀρωγὸς ἐν κακοῖς ἐγίγνετο.

Laio mortuo nullus ultor natus est scil. quia mala obstabant.

Ergo *ἀρωγὸς* et defensorem et ultorem significare potest apud Sophoclem. Ultorem notare solet vocabulum *τιμωρός*. Sed *τιμωρὸς* non solum est *ὃς τιμωρεῖται*, ultor, sed etiam *ὃς τιμωρεῖ*, adiutor. Itaque quia una significatione consentiunt *ἀρωγὸς* et *τιμωρὸς* (scil. adiutor) alteram quoque (scil. ultor) communem dedit Sophocles vocabulis.

Iam non dubito quin in Aiacis quoque versu 835:

καλῶ δ' ἀρωγοὺς τὰς ἀεί τε παρθένους
ἀεί θ' ὁρώσας πάντα τἀν βροτοῖς πάθη,
σεμνὰς Ἐρινῦς τανύποδας, μαθεῖν ἐμὲ
πρὸς τῶν Ἀτρειδῶν ὡς διόλλυμαι τάλας

ἀρωγοὺς significat ulciscentes. Solent enim esse Erinyes deae ultrices.

Comparari potest cum vocabulo *ἀρωγὸς* vocabulum
ἐπίκουρος. *ἐπίκουρος*. Apud Homerum *ἐπίκουρος* dicitur adiutor, auxiliator (saepe plurali numero de auxiliis Troianorum). Inde ex significatione iuvandi fit defendendi vel arcendi sensus, cuius multa exempla facile invenies. Non autem eodem vocabuli significatu usus est Sophocles. Sane in OC. v. 1220:

οὐδ'[1]) ἐπίκουρος, ἰσοτέλεστος
῎Αιδος ὅτε μοῖρ' ἀνυμέναιος
ἄλυρος ἄχορος ἀναπέφηνε,
θάνατος ἐς τελευτάν,

ἐπίκουρος θάνατος est mors adiutrix (Eur. Hipp. 1373 καί μοι Θάνατος Παιὰν ἔλθοι). In OT. 496 autem hic sensus vocabulo inesse non potest:

ἐπὶ τὰν ἐπίδαμον φάτιν εἶμ' Οἰδιπόδα Λαβδακίδαις
ἐπίκουρος ἀδήλων θανάτων.

θανάτων ἐπίκουρος adiutorem mortis vel eum qui a morte defendit, mortem arcet, hoc loco significare non potest. Immo ἀδήλων θανάτων ἐπίκουρος est τῶν θανάτων τιμωρός. Recte comparat Iebbius Euripidis El. 135 seqq., quibus versibus Electra queritur:

ἔλθοις (sc. Orestes) δὲ πόνων ἐμοὶ
τᾷ μελέᾳ λυτήρ,
ὦ Ζεῦ Ζεῦ, πατρὶ δ' αἱμάτων
αἰσχίστων ἐπίκουρος,
῎Αργει κέλσας πόδ' ἀλάταν.

Quo loco αἱμάτων ἐπίκουρος eodem sensu dicitur atque illo Sophoclis loco θανάτων ἐπίκουρος. Itaque apud Euripidem quoque inest vocabulo ulciscendi significatio. Abusio eodem modo explicanda est atque vocabuli ἀρωγὸς abusio. Accedit quod illo OT. loco inest verbis imago pugnantis ἐπὶ τὰν ἐπίδαμον φάτιν εἶμι (cf. Her. I 157 στρατὸν ἐπ' ἑωυτὸν ἰόντα). Quo factum videtur ut vocabulum ἐπίκουρος quod persaepe de eo qui in bello iuvat dictum est hoc quoque loco in mentem venerit Sophocli.

1) Scripseram cum Hermanno ὁ δ'. Traditum οὐδ' tenendum esse monet Ed. Schwartz, cui nunc adstipulor; οὐδ' (ἔστιν) ὅτε coniungenda sunt.

ἀμύνειν. Tertium exstat vocabulum quod proprie notat defendere et arcere, inde translate punire et ulcisci, *ἀμύνειν.* Iuvandi et defendendi significatio invenitur e. g. OC. 427 seqq.

οἵ γε τὸν φύσαντ' ἐμέ
οὕτως ἀτίμως πατρίδος ἐξωθούμενον
οὐκ ἔσχον οὐδ' ἤμυναν, ἀλλ' ἀνάστατος
αὐτῶν ἐπέμφθην κἀξεκηρύχθην φυγάς.

Medium ergo proprie significare debet „a se propulsare, se vindicare ex aliqua re.“ Et nisi hac significatione medium apud Sophoclem non exstat, excepto v. Antig. 643 seqq.

τούτου γὰρ οὕνεκ' ἄνδρες εὔχονται γονὰς
κατηκόους φύσαντες ἐν δόμοις ἔχειν
ὡς καὶ τὸν ἐχθρὸν ἀνταμύνωνται κακοῖς
καὶ τὸν φίλον τιμῶσιν ἐξ ἴσου πατρί.

Qui iniuriam sibi illatam arcet, ulcisci solet. Itaque *ἀμύνεσθαι* ita usurpari potest, ut notet iniuriam rependere, ulcisci; quod hoc Antigonae loco factum est. Sin autem reddendi vis inerat vocabulo, facile non solum de malis sed etiam de bonis reddendis dici potuit. Ita fit, ut *ἀμύνεσθαι* et *ἀμείβεσθαι* non raro inter se confundantur [1]).

Quam reddendi significationem Sophocles activo quoque tribuit verbo ea qua erat audacia. OC. 1128. *εἰδὼς δ' ἀμύνω τοῖσδε τοῖς λόγοις τάδε,* i. e. his verbis (1124—27) gratiam refero huius rei. Quo cum loco conferendus est versus Phil. 602 *τίς ὁ πόθος αὐτοὺς ἵκετ' ἢ θεῶν βία καὶ νέμεσις, οἵπερ ἔργ' ἀμύνουσιν κακά;*

---

1) De vocabulorum *ἀμύνεσθαι* et *ἀμείβεσθαι* simili significatione cf. quae Hermannus annotat ad Ant. 643.

Etiam hoc loco *καταχρηστικῶς* Sophocles utitur vocabulo, scil. ut significet rependere.

CAPUT IV.

τιμᾶν et *ἀτιμάζειν*.

Verbum quod est *τιμᾶν* apud Sophoclem plerumque positum est significatione honorandi vel colendi sicut apud Homerum et ceteros. Duobus tamen locis alius sensus latet. In Ai v. 687 dicit Aiax: *τιμᾶν.*

ὑμεῖς δ' ἑταῖροι ταὐτὰ τῇδέ μοι τάδε
τιμᾶτε

(scil. *εὔχεσθε, τελεῖσθαι τοὐμὸν ὧν ἐρᾷ κέαρ* 686).

Scholion vertit *τιμᾶτε*: *ἀντὶ τοῦ πείθεσθε*, potius *ἀντὶ τοῦ πολλοῦ ποιεῖσθε*. Elucet hoc loco tribuendi significationem inesse verbo. Nam sane chorus si facit quae optat Aiax, eum honorat. Tamen non tam honorandi quam praestandi vis valet. Qua de causa etiam constructio alia est. *τιμᾶν* quod est honorare coniungitur cum accusativo obiecti quod dicitur externi. Hic autem *τιμᾶν* cum accusativo obiecti interni coniunctum est, quasi scripsisset poeta *τὴν αὐτὴν τιμήν*, addito dativo ethico *μοι*.

Neque aliter explicari potest versus Ant. 514: *πῶς δῆτ' ἐκείνῳ δυσσεβῆ τιμᾷς χάριν*, i. e. cur illi gratiam (honorem) tribuis quae est nefaria. Hoc loco ut ita dicam praegnantior est significatio verbi. Honoris enim notatio non tam in ipso verbo quam in vocabulo *χάριν* posita est. *τιμᾶν* autem et hoc et illo Aiacis loco idem

fere significat atque *τίνειν*[1]. *τιμὴ* est proprie *τὸ ἀποτιννύμενον*. Significatio honoris non primaria est. (cf. Kaibel. ad El. 915). Si autem *τιμὴ* est *ὃ ἀποτίνεται*, suo iure Sophocles *τιμᾶν* ita usurpare potuit ut significet *ἀποτίνειν* vel *τίνειν*. Vocabulum *τίνειν* autem non solum de satisfactione dicitur, sed etiam „dare tribuere“ significare potest.

Qua de causa Sophocles verbo *τιμᾶν* quoque tribuendi vim dedit.

ἀτιμάζειν. Eodem modo de vocabuli *ἀτιμάζειν* significatione iudicandum est. Vocabulum propria contemnendi vi non paucis locis invenitur apud Sophoclem. Sin *τιμᾶν* notare potest „tribuere“ nihil obstat, quin *ἀτιμάζειν* significet „privare“ vel „negare“. Accedit, quod saepe e contemptione fit quasi privatio alicuius rei. Nam cum alicui honor alicuius rei demitur, hac re privatur. Et hoc sensu cum genetivo privandi coniungitur verbum cf. Ant. 22 *τάφου ἀτιμάσας ἔχει.* Negandi autem sensus inest vocabulo Ant. 544:

μή τοι κασιγνήτη μ' ἀτιμάσῃς τὸ μὴ οὐ
θανεῖν τε σὺν σοὶ τὸν θανόντα θ' ἁγνίσαι.

Et OC. 49 loquitur Oedipus:

πρὸς νῦν θεῶν, ὦ ξεῖνε, μή μ' ἀτιμάσῃς
τοιόνδ' ἀλήτην, ὧν σε προστρέπω φράσαι

(ne neges ea quae abs te peto neve ideo me contemnas). In eiusdem fabula vv. 275 seqq. petit Oedipus a choro ut se servet et dicit 286:

μηδέ μου κάρα
τὸ δυσπρόσοπτον εἰσορῶν ἀτιμάσῃς,

(i. e. ne propter deformitatem meam neges quae peto, neve ignominiam mihi feras). Sane qui alicui petenti

---

1) Similia affert Lobeckius ad Ai. 687.

aliquid negat, ei ignominiam fert. (cf. Il. A 11). Eis tamen Sophoclis locis quae exscripsi valet negandi vis. Ut ergo *τιμᾶν* significare potest „dare, tribuere", sic *ἀτιμάζειν* „privare, negare".

Id tamen observandum est nullo loco aut honorandi aut contemnendi vim omnino evanescere.

Contrarium est quod *τὸ ἐπιτίμιον* significare solet multam vel supplicium. Sophocles autem El. 915 usus est vocabulo, ut significetur, quod in alicuius honorem factum est. *ἐπιτίμιος.*

ἀλλ' ἔστ' Ὀρέστου ταῦτα τἀπιτίμια.

Dindorfi pravam coniecturam *τἀπιτύμβια* recepit Iebbius quia abusionem non intellexit. Conferas autem de hac re Kaibeli praeclaram annotationem in hunc El. locum.

CAPUT V.

εὖχος.

Substantivum *εὖχος* apud Homerum semper significat quo quis homo gloriatur, inde est honor vel gloria (imprimis quae bello atque victoria paratur) atque inde ipsa victoria. Variis cum verbis coniungi potest. E. g. *εὖχος διδόναι* = gloriam praebere et de victis usurpatur (cf. *E.* 285. 654. *Λ.* 445) et de deis (*H* 81 *ι* 317 etc.). Praeterea coniunguntur *πορεῖν εὖχος* (*χ* 7) *εὖχος ὀρέγειν* (*N* 327 *X* 130) *ἀπαυρᾶν τινα εὖχος* (o 462) *εὖχος ἀρέσθαι* (*H* 203 *Λ* 290 *Φ* 397). Cum nisi apud poetas non inveniatur vocabulum raro exstat. Quocumque autem loco poetarum adhibetur (Hesiod. Th. 268. Pindar. Pyth. V, 21. Ol. XI, 66. Tyrtaeus X, 36 [Bergk] Antipater Sidonius [Anthol. Palat. VII, 27]) semper significat id quo aliquis

gloriatur. Duobus tamen locis non modo non eadem sed tam discrepans exstat notatio ut explicari vix posse videatur.

Alter locus est Sophoclis Philoctetis versus 1202, ubi Philoctetes ut dolore atque cruciatu liberetur a choro petit:

ἀλλ' ὦ ξένοι ἕν γέ μοι εὖχος ὀρέξατε.

Sensus is tantum esse potest: hoc unum mihi votum praebeatis quaeso (scil. gladium mihi detis). Quae *κατάχρησις* gravior fit, quia idem verbum *ὀρέγειν* cum vocabulo *εὖχος* coniungitur, quod apud Homerum quoque cum hoc vocabulo coniunctum exstat.

Omnia autem elucent significationibus verbi *εὔχεσθαι* observatis. Cuius verbi primarius significatus esse videtur qui exstat apud Homerum *Δ*. 119/120.

εὔχετο δ' Ἀπόλλωνι λυκηγενέι κλυτοτόξῳ
ἀρνῶν πρωτογόνων ῥέξειν κλειτὴν ἑκατόμβην.

In Aesch. Agam. 937 dixerat Agamemno se consilium suum mutaturum non esse. Clytaemnestra eum interrogat:

ηὔξω θεοῖς δείσας ἂν ὧδ' ἔρδειν τάδε;

(An timore perductus deis vovisti, te ita facturum esse?). Si nativa verbi significatio est „vovere" omnia bene intelleguntur. Qui deis aliquid vovet eos precatur vel supplicat. Supplicare autem vel orare atque petere saepissime significat vocabulum *εὔχεσθαι*. Non minus autem aliquid boni quam mali ut in aliquem incidat petitur. Itaque *εὔχεσθαι* significare potest exsecrari in aliquem (*κατά τινος*). Inde etiam optandi notatio intellegi potest. Quod aliquis petit, scilicet optat.

Sed in aliam quoque partem vocabuli vis amplificata est. E. g. Il. XVIII, 499.

ὁ μὲν εὔχετο πάντ' ἀποδοῦναι
δήμῳ πιφαύσκων, ὁ δ' ἀναίνετο μηδὲν ἑλέσθαι.

Primaria subest significatio: a deis petiit ut se suaque perderent nisi hoc fecisset, i. e. iure iurando se obstrinxit, i. e. affirmavit. cf. usum Pindari et Bachylidis qui iure iurando utuntur cum victores laudibus extollunt. e. g. Pindar. O II. 92 seqq., O VI. 20, XIII. 99 (ed. Schroed.) etc.

Inde facile proxima significatio explicatur:

πατρὸς ἐξ ἀγαθοῦ γένος εὔχομαι εἶναι,

h. e. affirmo a forti patre ortum esse (atque sane hac origine glorior). Quo ex sensu perfacile gloriandi significatum fieri potuisse manifestum est. Sic e. g. Λ 388 vocabuli vis est = se iactare.

Ut igitur εὔχεσθαι esse potest gloriari, ita apud Homerum atque ceteros poetas εὖχος significat gloriam. Sophocles autem quia verbum εὔχεσθαι esse potuit optare, etiam substantivo εὖχος significationem voti, desiderii dedit. Quod facile erat, quod Atheniensibus εὔχεσθαι nihil nisi orare precari supplicare significabat.

Multo autem audacius dictum est εὖχος altero illo loco quo cum usitata significatione discrepat vocabuli sensus. In Platonis quod fertur epigrammate (Anthol. Pal. VI, 43).

Τὸν νυμφῶν θεράποντα φιλόμβριον, ὑγρὸν ἀοιδόν,
τὸν λιβάσιν κούφαις τερπόμενον βάτραχον,
χάλκῳ μορφώσας τις ὁδοιπόρος, εὖχος ἔδωκεν,
καύματος ἐχθροτάτην δίψαν ἀκεσσάμενος.
πλαζομένῳ γὰρ ἔδειξεν ὕδωρ, εὔκαιρον ἀείσας
κοιλάδος ἐκ δροσερῆς ἀμφιβίῳ στόματι
φωνὴν δ' ἡγήτειρον ὁδοιπόρος οὐκ ἀπολείπων
εὗρε πόσιν γλυκερῶν ὧν ἐπόθη ναμάτων

totus verborum conexus ita est, ut εὖχος significare de-

beat anathema. Significatio explicatur si cum primario verbi *εὔχεσθαι* sensu (= vovere) confertur. Etiam anathema deis vovetur.

CAPUT VI. DE ALTERO ABUSIONUM GENERE.

Altera abusionum ratio est quod secundum vocabuli veriloquium poetae usitatum vocabuli usum immutant. Quam abusionis rationem imprimis in compositis fieri non miraberis.

ἀντέχειν. Incipiam a vocabulo *ἀντέχειν* quod intransitive usurpari solet ut significet durare sustentare, inde repugnare. Ergo praepositio *ἀντὶ* hoc in composito plerumque notat „contra". Quae non primaria praepositionis vis est. Eadem enim nativa significatio inest huic praepositioni ac praepositioni Latinae quae est „ante". Potest ergo verbum *ἀντέχειν* artificiose ad significationem praetendendi deflecti, si *ἔχειν* non intransitive sed transitive sumitur. Et habemus unum Sophoclis locum quo sufficit istic sensui verbum *ἀντέχειν*. OC 1650/51 narrat nuntius

(*ἐξαπείδομεν*)
ἄνακτα δ' αὐτὸν ὄμμασι ἐπίσκιον
χεῖρ' ἀντέχοντα κρατός.

Sed cum manus vel arma vel tale quid praetendantur arcendi causa, fieri potuit, ut ipsum verbum *ἀντέχειν* significaret arcere aliquid aliqua re. Philoct. 830 chorus Somnum vocat, qui Philoctetem morbo fessum iuvet:

ὄμμασι δ' ἀντέχοις
τάνδ' αἴγλαν ἃ τέταται τὰ νῦν.

Vocabulo ἔκτοπος plerumque inde a Platone significatur quod inusitatum et mirum est. Aliam tamen significationem praebet Sophocles OC. 233. ἔκτοπος.

σὺ δέ τῶνδ' ἑδράνων πάλιν ἔκτοπος
αὖθις ἄφορμος ἐμᾶς χθόνος ἔκθορε.

Quo in versu ἔκτοπος is est qui loco suo emotus est. Inde ἔκτοπος notare potest remotum:

Trach. 31 seqq. κἀφύσαμεν δὴ παῖδας, οὓς κεῖνός ποτε
γήτης ὅπως ἄρουραν ἔκτοπον λαβών,
σπείρων μόνον προσεῖδε κἀξαμῶν ἅπαξ.

Qua ex significatione perfacile significationes: peregrinus alienus alius evaserunt. Itaque legimus in Trach. 1132

(Δηιάνειρα τέθνηκεν)
αὐτὴ πρὸς αὑτῆς, οὐδενὸς πρὸς ἐκτόπου
h. e. πρὸς οὐδενὸς ἄλλου.

Quod autem peregrinum et alienum est, et inusitatum et mirum esse solet.

Idem dicendum est de vocabulo ἐκτόπιος quod apud Athenaeum XIV, 659 A significat peregrinum (ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ τὸν μὲν πολιτικὸν μάγειρον μαίσωνα, τὸν δ' ἐκτόπιον τέττιγα.) et in H. Orph. LVII, 10 notat mirabundum (ὁρμαὶ ἐκτόπιαι). Alius autem est usus vocabuli apud Sophoclem. ἐκτόπιος.

OT. 1340. ἀπάγετ' ἐκτόπιον ὅτι τάχιστά με.
OC. 119. ποῦ κυρεῖ ἐκτόπιος συθεὶς ὁ πάντων ἀκορέστατος
OT. 166. εἴ ποτε καὶ προτέρας ἄτας ὕπερ ὀρνυμένας πόλει | ἠνύσατ' ἐκτοπίαν φλόγα πήματος (i. e. ἐξετοπίσατε).

His tribus locis ἐκτόπιος nihil significat nisi remotum. Sophocles ergo vocabulis ἔκτοπος et ἐκτόπιος dedit sensum, qui cum communi vocabulorum intellectu non convenit, scil. quia alio modo Sophocles vocabula interpretatus est.

ἔντοπος. His cum vocabulis conferendum est vocabulum ἔντοπος. Iulius Pollux in onom. libro III, 51 scripsit: ἔποιτο δ' ἂν τούτοις πολίτης· ὁ γὰρ συμπολίτης οὐ δόκιμον εἰ καὶ Εὐριπίδης αὐτῷ κέχρηται ἐν Ἡρακλείδαις τε καὶ Θησεῖ, βελτίω δ' ἀστός, ἐπιχώριος, ἐγχώριος, ἡμεδαπός, ὁμόφυλος, ἐγγενής, ἔντοπος κτλ.

Polluci ergo ut plerisque ἔντοπος erat indigena. Ita e. g. Sophocles vocabulo usus est in OC. 841 seqq.:

πρόβαθ' ὧδε, βᾶτε, βᾶτ', ἔντοποι.
πόλις ἐναίρεται, πόλις ἐμά σθένει;
πρόβατ' ὧδέ μοι.

Quam significationem primariam esse non posse manifestum est. Esse debet ἔντοπος qui aliquo loco est. Et hanc significationem, quamquam ceteris nota non est, Sophocles dedit vocabulo:

Phil. 211. ὡς οὐκ ἔξεδρος ἀλλ' ἔντοπος ἀνήρ. Quo loco oppositis adiectivis ἔξεδρος et ἔντοπος quae sit vis vocabuli apparet.

Phil. 279, 80. ὁρῶντα μὲν ναῦς, ἃς ἔχων ἐναυστόλουν,
πάσας βεβώσας, ἄνδρα δ' οὐδέν' ἔντοπον.

Et hic ἔντοπος non usitatam vim habet, est enim ἔντοπος = ὁ ἐνών.

Audacissime autem dictum exstat vocabulum ἔντοπος Philoctet. 1171:

πάλιν πάλιν παλαιὸν ἄλγημ' ὑπέμνασας, ὦ
λῷστε τῶν πρὶν ἐντόπων.

Scholion explicat: ὦ λῷστε τῶν πρὶν ἐντόπων· ὦ βέλτιστε τῶν πλησιασάντων μοι πάλαι ἢ τῶν περὶ Ὀδυσσῆα. Quarum explicationum neutra recta, altera autem ineptissima est. Sunt enim οἱ πρὶν ἔντοποι quicumque aliquando hoc in loco, scil. hac. in insula, erant.

ἔμπορος. Apud Homerum ἔμπορος nisi in Odyssea non in-

venitur. Significat autem mercatorem qui proprio sumptu navem instruere non potest.

β. 319. εἶμι μὲν ....
ἔμπορος· οὐ γὰρ νηὸς ἐπήβολος οὐδ' ἐρετάων
γίγνομαι.

ω. 300. ἦ ἔμπορος εἰλήλουθας
νηὸς ἐπ' ἀλλοτρίης.

Etiam apud posteriores plerumque mercator est, sed is, qui sua navi vehitur. Alio autem modo tragici poetae vocabulum interpretati sunt.

Aeschylo enim Cho. 661:

ὥρα δ' ἐμπόρους καθιέναι
ἄγκυραν ἐν δόμοισι πανδόκοις ξένων

idem est ἔμπορος atque ὁδοιπόρος; tamen unde tralatio facta sit, vocabulis ἄγκυραν καθιέναι manifestum est. Translatum est vocabulum a nauta qui εἰς ὅρκον πάνδοκον venit.

Apud Sophoclem autem ἔμπορος nihil nisi viator esse potest. Invenitur vocabulum in sola OC. fabula tribus locis.

25. πᾶς γάρ τις ηὔδα τοῦτο γ' ἡμῖν ἐμπόρων.

303. μακρὰ κέλευθος· πολλὰ δ' ἐμπόρων ἔπη
φιλεῖ πλανᾶσθαι τῶν ἐκεῖνος ἀίων
θάρσει πάρεσται.

900. ἔνθα δίστομοι | μάλιστα συμβάλλουσιν ἐμπόρων [ὁδοί.

Sophocles ergo ita interpretatus est vocabulum quasi ἔμπορος sit ὅς ἐν πόρῳ ἐστίν.

Etiam Euripides, cui plerumque ἔμπορος est mercator, uno tamen loco viatorem intellegi voluit.

Alc. 995. μηδὲ νεκρῶν ὡς φθιμένων χῶμα νομιζέσθω
τύμβος σᾶς ἀλόχου, θεοῖσι δ' ὁμοίως
τιμάσθω σέβας ἐμπόρων.

Non aliter Sophocles compositum quod est *ξυνέμπορος* interpretatus est (scil. comes) cf.

Tr. 318. *οὐδ' ὄνομα πρός του τῶν ξυνεμπόρων ἔχεις;*
Phil. 542. *Ἀχιλλέως παῖ, τόνδε τὸν ξυνέμπορον,*
ὅς ἦν νεὼς σῆς σὺν δυοῖν ἄλλοιν φύλαξ
ἐκέλευσ' ἐμοί σε ποῦ κυρῶν εἴης φράσαι.

Neque haec significatio Aeschylo et Euripidi ignota fuit, cum posterioribus significare soleat *ξυνέμπορος* qui una cum alio quodam commercium habet.

In Trach. v. 110:

πυνθάνομαι
τὰν ἀμφινεικῆ Δηιάνειραν ἀεί,.....
.... εὔμναστον ἀνδρὸς δεῖμα τρέφουσαν ὁδοῦ
ἐνθυμίοις εὐναῖς ἀνανδρώτοισι τρύχεσθαι

ἐνθύμιος. significatio vocabuli *ἐνθύμιος* aliena est ab usitato sensu. Nam cum proprie sit *ἐνθύμιος ὅς ἐν θυμῷ ἐστιν* et inde apud plerosque scriptores qui alicui curae est (cf. Od. *ν*. 421. *μήτοι λίην ἐνθύμιος ἔστω.* Soph. OT. 739 *τί δ' ἐστίν σοι τοῦτ', Οἰδίπους, ἐνθύμιον*), hoc loco aliud significare non potest quam qui dolore afficit aliquem. Potius sane exspectaremus: *ἐνθυμουμένην εὐνὰς ἀνανδρώτους τρύχεσθαι.* Non bene autem scholia interpretantur *ἐνθυμίοις εὐναῖς: ταῖς μεριμνητικαῖς ταῖς πολυφροντίστοις κτλ.* Apparet vocabulum cum notet eum qui alicui curae est eum quoque significare posse qui aliquem sollicitat (cf. e. g. OT 739). Sed qui aliquem sollicitat dolore afficere solet. Ita Deianira *τρύχεται εὐναῖς ἐνθυμίοις.* Qua de causa autem sint *εὐναὶ ἐνθύμιοι* elucet v. 109 collato *εὔμναστον ἀνδρὸς δεῖμα τρέφουσαν ὁδοῦ.*

Sollicitat homines etiam id quod religioni est. Ita usus vocabuli *ἐνθύμιος* explicari potest, quem Antipho adhibuit. Tetr. A *γ* 10. *ἡμῖν μὲν προστρόπαιος ὁ*

ἀποθανὼν οὐκ ἔσται, ὑμῖν δὲ ἐνθύμιος γενήσεται. Tetr. B δ 9. ἔχοντός γε δὴ τὴν δίκην τοῦ φόνεως, οὐκ ἐὰν ἀπολύσητε ἡμᾶς, ἀλλ' ἐὰν καταλάβητε, ἐνθύμιον ὑπολείψεσθε. De hac re et omnino de vocabuli ἐνθύμιος usu cf. quae annotat Wilamowitzius in Euripidis Hercul. 722.

Plerisque scriptoribus ἔξωρος notat eum qui iuventutem excessit, Sophocli autem, qui uno versu El. 618 habet vocabulum significat idem atque ἄκαιρος. ἔξωρος.

μανθάνω δ' ὁθούνεκα
ἔξωρα πράσσω κοὐκ ἐμοὶ προσεικότα.

Recte interpretatus est scholiasta: κἀγώ, φησίν, αἰσθάνομαι ἐπονείδιστα πράσσουσα καὶ οὐ κατὰ τὴν ἐμὴν ὥραν. Esse solet ὥρα tempus, deinde anni tempus, imprimis ver. Idem quoque significare potest atque καιρός. Non rara tamen est significatio maturitatis. cf. Aesch. Sept. 535. Suppl. 997. De virginis statu dicitur Isae. II, 3. εἶχεν ὥραν. Quia autem ὥρα esse potest maturitas, virginis status, adiectivum derivatum ἔξωρος ita intellexit Sophocles ut significet id quod cum statu virginis non convenit.

Substantivum ἐπίνοια notare solet inventum quod quis excogitaverit; e. g. Ar. Eq. 1322: ἐπίνοια.

καὶ ποῦ 'στιν νῦν ὦ θαυμαστὰς ἐξευρίσκων ἐπινοίας

Thesm. 765. ἄγε δή, τίς ἔσται μηχανὴ σωτηρίας;
τίς πεῖρα, τίς ἐπίνοια;

Etiam sententiam aut cogitationem significare potest. Praepositio ἐπὶ autem hoc in composito semper idem notat ac in verbo ἐπινοεῖν, i. e. ἐπὶ νῷ βάλλεσθαι vel νοῦν ἔχειν ἐπί τινος. Quo mirabilius est, quod Sophocles vocabulo, quod est ἐπίνοια utitur ita ut intellegatur cogitatio quae post aliquid facta sit.

Ant. 388. ἄναξ, βροτοῖσιν οὐδέν ἐστ' ἀπώμοτον.
ψεύδει γὰρ ἡ 'πίνοια τὴν γνώμην.

Recte interpretatur scholiasta: ἡ γὰρ ἐπίνοια ὅ ἐστιν ἡ ἐπιοῦσα γνώμη τὴν ἀνελπίσασαν γνώμην ψευδῆ ποιεῖ et alius: ἡ γὰρ πρώτη δόκησις ἐκκρούεται ὑπὸ τῆς ἐπιγινομένης δόξης δευτέρας. — Non dubito, quin haec abusio ficta sit e vocabuli πρόνοια significatione. Eodem modo Προμηθεὺς et Ἐπιμηθεὺς opponuntur. — Ceterum illo Antigonae loco ψεύδειν τὴν γνώμην eodem sensu dictum est quo exstat Il. H. 351/52. medium ψευσάμενοι ὅρκια πιστά, i. e. ψευδοποιοῦντες.

ἐπίρροθος. Adiectivum ἐπίρροθος apud Homerum dicitur de Minerva quae aliquem iuvat:

Δ 390. τοίη οἱ ἐπίρροθος ἦεν Ἀθήνη
Ψ 770. κλῦθι θεά, ἀγαθή μοι ἐπίρροθος ἐλθὲ ποδοῖιν.

Quam quomodo explicem significationem non habeo. Sed alios quoque poetas Homerum secutos ita intellexisse vocabulum docemur usu Hesiodeo atque Aeschyleo

Sept. 367. ἐλπίς ἐστι νύκτερον τέλος
μολεῖν, παγκλαύτων ἀλγέων ἐπίρροθον.

Omnino autem alius est sensus vocabuli apud Sophoclem.

Ant. 413. ἐγερτὶ κινῶν ἄνδρ' ἀνὴρ ἐπιρρόθοις κακοῖσιν.
ἐπίρροθος dicitur obiurgans. De altero Sophoclis loco, quo invenitur vocabulum: fragment. 524

ὅταν δ' ἐς ἥβην ἐξικώμεθ' ἔμφρονες
ὠθούμεθ' ἔξω καὶ διεμπολώμεθα
θεῶν πατρῴων τῶν τε φυσάντων ἄπο
αἱ μὲν ξένους πρὸς ἄνδρας, αἱ δὲ βαρβάρους
αἱ δ' εἰς ἀληθῆ αἱ δ' ἐπίρροθα

iudicare non possumus, quia prorsus obscurus est locus.

Accedit, quod etiam verbum ab hoc adiectivo derivatum quod est ἐπιῤῥοθεῖν apud Sophoclem significat vehementer increpare aliquem. ἐπιῤῥοθεῖν.

Tr. 264. πολλὰ μὲν λόγοις
ἐπεῤῥόθησε, πολλὰ δ' ἀτηρᾷ φρενί.

Quod quomodo cum usu Homerico congruat explicari posse vix videtur. Id tamen tenendum est Sophoclem compositum putasse vocabulum e praepositione ἐπὶ et ῥόθος partiumque vim toti composito tribuisse. Neque ceteros tragicos hanc interpretationem nescivisse apparet. Sed cum praepositio ἐπὶ aut in bonum aut in malum adhiberi possit, Aeschylo atque Euripidi verbum quod est ἐπιῤῥοθεῖν significat strepitum edere ad aliquid cf. Aesch. Cho. 428 κτύπῳ δ' ἐπιῤῥοθεῖ κροτητὸν ἀμὸν καὶ πανάθλιον κάρα. cf. 458. Inde significat strepitum edere comprobationis causa. Eur. Hec. 550 ab Achivis petit Polyxena:

Ἐλευθέραν δέ μ', ὡς ἐλευθέρα θάνω,
πρὸς θεῶν μεθέντες κτείνατ· ἐν νεκροῖσι γὰρ
δούλη κεκλῆσθαι βασιλὶς οὖσ' αἰσχύνομαι.

Sequitur: λαοὶ δ' ἐπεῤῥόθησαν (strepitu comprobaverunt).

Similis est locus Eur. Or. 901

Ἐπεῤῥόθησαν δ' οἱ μὲν ὡς καλῶς λέγοι
οἱ δ' οὐκ ἐπῄνουν.

Quam significationem comprobandi Sophocles quoque novit, audacter autem de piscibus usus est vocabulo: fragm. incert. 695: χόρος δ' ἀναύδων ἰχθύων ἐπεῤῥόθει σαίνοντες οὐραίοισι τὴν κεκτημένην.

Singularem vocabuli ἐχέγγυος significationem, quae apud Sophoclem OC. 284 legitur, recte explicavit Godofredus Hermannus. Apud ceteros enim idem fere signi- ἐχέγγυος.

ficat ἐχέγγυος atque φερέγγυος. Alium autem sensum inesse vocabulo ἐχέγγυος illo Sophoclis loco manifestum est.

ἀλλ' ὥσπερ ἔλαβες τὸν ἱκέτην ἐχέγγυον
ῥύου με κἀκφύλασσε.

Hermannus: „ἐχέγγυος quod sponsorem promissis stantem ac fide dignum significat hic de eo dictum videtur qui alius sponsione fretus est. Neque id mirandum, quum sponsionem habens quae propria est huius vocabuli significatio et is intellegi potest, cui fidunt alii, et is qui aliis ipse fidit: sicut hoc ipsum, fidem habere, ambiguum est, ut et πιστεύειν Graece dici possit et πιστεύεσθαι".

Respicit autem Oedipus ad chori verba 175:

οὔτοι μήποτέ σ' ἐκ τῶνδ' ἑδράνων, ὦ γέρον,
ἄκοντά τις ἄρῃ.

Itaque hoc quoque vocabulo καταχρηστικῶς usus est Sophocles.

καλῶς πράσσειν. Verbum quasi compositum efficitur duobus vocabulis καλῶς πράσσειν. Etiam his vocabulis Sophocles non usitatam dedit significationem sed ea qua erat loquendi libertate novum sensum tribuit scil. primarium utriusque vocabuli significatum servans OC. 1764. Dixerat Theseus Oedipum morientem a se petivisse ne de illius sepulcro quid proderet:

καὶ ταῦτά μ' ἔφη πράσσοντα καλῶς
χώραν ἕξειν αἰὲν ἄλυπον.

Omnes fere viri docti coniunxerunt καλῶς cum vocabulis ἕξειν ἄλυπον. Sed hoc modo καλῶς supervacaneum fit, ut recte intellexit G. Hermannus, qui pro καλῶς scripsit κακῶν (scil. ἄλυπον cf. 1519 γήρως ἄλυπα El. 1002 ἄλυπος ἄτης). Sed quod ille contendit displicere a So-

phocle ἄλυπον sic nudum esse positum erravit vir doctissimus cf. e. g. OT. 592 πῶς δῆτ' ἐμοὶ τυραννὶς ἡδίων ἔχειν ἀρχῆς ἀλύπου καὶ δυναστείας ἔφυ [1]). Librorum autem lectionem veram esse optime Campbellius demonstravit, qui καλῶς coniungendum esse cum πράσσοντα, scil. ut sit καλῶς πράσσειν = rite aliquid facere, docuit.

Solent autem notare vocabula καλῶς πράσσω: bene mecum agitur, bona sorte fruor vel tale quid. Audacter ergo suum cuique vocabulo reddidit sensum Sophocles. Nam cum verbum πράσσειν et transitiva et intransitiva significatione dici soleat, vocabula καλῶς πράσσειν quae a ceteris scriptoribus Graecis intransitive dicta sunt etiam transitive posuit poeta tragicus.

ὄμμα in carminibus Homericis semper prae se fert significationem oculi. Nisi pluraliter positum non invenitur vocabulum excepto Batrachom. versu 97 (ἔκδικον ὄμμα). Etiam apud ceteros poetas significare solet oculum. Tragici autem poetae Aeschylus atque Sophocles aliter intellexerunt vocabulum. Aeschylus enim in Choeph. 238 ὦ τερπνὸν ὄμμα τέσσαρας μοίρας ἔχον ἐμοί (cf. 225 Orestes: αὐτὸν μὲν οὖν ὁρῶσα δυσμαθεῖς ἐμέ) ita vocabulum ὄμμα usurpavit ut significetur ὅραμα. Primarium ergo significatum reddidit vocabulo. Quem duobus locis Sophocles secutus est, cui et ipsi plerumque ὄμμα est oculus. Species autem quae oculis aspicientibus se offert (= ὅραμα) est in Ai. v. 1004 ὄμμα.

ὦ δυσθέατον ὄμμα καὶ τόλμης πικρᾶς.

Miror Iebbii interpretationem: „*O thou from dread to look on, wherein dwelt such cruel courage.*“ Quomodo hanc explicationem defendere velit mihi non satis clarum

1) Locum similem annotat E. Schwartz OT. 229, qui et Herodoti et Ionum οὐδὲν ἄχαρι παθεῖν confert.

est. Retexit Teucer Aiacis corpus et cum inspexerit exclamat: „O aspectus, qui *δυσθέατος* est.“ Deinde Aiacis audaciam queritur: „*ὦ τόλμης πικρᾶς ὅσας ἀνίας μοι κατασπείρας φθίνεις.*“

Rectum sensit Nauckius qui *φάσμα* pro *ὄμμα* coniecit Tamen coniectura non opus est.

Eodem modo intellegendus est versus El. 903:

ἐμπαίει τί μοι
ψυχῇ σύνηθες ὄμμα φιλτάτου βροτῶν
πάντων Ὀρέστου τοῦδ' ὁρᾶν τεκμήριον,

quo loco significatio vocabuli *ὄμμα* definitur addito infinitivo *ὁρᾶν.* Recte scholiasta: *ὅραμα ὃ ἀεὶ ἐφανταζόμην κατὰ ψυχήν.* (Hoc quoque loco Nauckius scholio nisus *φάσμα* pro *ὄμμα* legendum censuit. Non iure.)

Non recte autem explicare videtur Ellendtius Phil. 171. Dicitur Philoctetes *μηδὲ ξύντροφον ὄμμ' ἔχων*; scholiasta vertit: *μηδὲ ὁρῶν εἰς ἄνθρωπον σύνοικον*, cum Ellendtius eodem fere modo explicet: „qui se iuvat ne aspectum quidem cohabitantis habens“. Potius autem vertas: nec familiaris ullius oculum (in se conversum) habens, scil. ut hoc loco usitata vocabuli vis valeat.

Vocabulum *ὁμόσπορος* passive dictum est (scil. *ὁ ὁμοῦ σπειρόμενος* = consanguineus) h. Cer. 85.

οὔτοι ἀεικὴς
γαμβρὸς ἐν ἀθανάτοις πολυσημάντωρ Ἀϊδωνεὺς
αὐτοκασίγνητος καὶ ὁμόσπορος.

ὁμόσπορος. Idem significat *ὁμόσπορος* apud Sophoclem Tr. 212 *τὰν ὁμόσπορον Ἄρτεμιν,* scil. *τὰν τοῦ Ἀπόλλωνος* (209) *ἀδελφήν.* Passive sed longe alio modo dictum exstat vocabulum OT. 260.

ἔχων δὲ λέκτρα καὶ γυναῖχ' ὁμόσπορον

scil. *ὁμοίως σπειρομένην,* i. e. *ἣν και ἐκεῖνος ἔσπειρε.* Qui

sane mirificus videtur sensus. Sed cum *σπείρειν* notare possit et semen spargere et conserere (terram agros), etiam adiectivum *ὁμόσπορος* ab hoc verbo derivatum duplicem significationem prae se ferre potest.

Similis generis est vocabuli *ὁμότροφος* significatus Aristoph. Aves 329. Notare enim solet *ὁμότροφος* eum qui simul cum aliis nutritus vel educatus est. Sed apud Aristophanem *ὁμότροφος.*

> *ὃς γὰρ φίλος ἦν ὁμότροφα θ' ἡμῖν*
> *ἐνέμετο πεδία παρ' ἡμῖν*

intellegi debent campi, quibus simul aluntur, ut recte interpretatus est scholiasta: *οἷον τὴν αὐτὴν ἡμῖν καταvομὴν νεμόμενα.*

Traditur vocabulum *ὁμόσπορος* etiam OT. 460 *τοῦ πατρὸς ὁμόσπορός τε καὶ φονεὺς* quo loco *ὁμοσπορος* esse debet *ὁ τὴν αὐτὴν σπείρων γυναῖκα* ut recte explicat scholiasta. Hic ergo activus significatus inest vocabulo. Sed cum adiectiva a verbis derivata quorum brevis est syllaba paenultima paroxytona esse soleant, siquidem activam praebent notationem, hoc quoque loco legas: *ὁμοσπόρος τε καὶ φονεύς.*

Vocabulum *παμμήτωρ* significare solet *τὴν πάντων μητέρα.* Ita e. g. Aeschylus usus est vocabulo in Prom. v. 90: *παμμήτωρ.*

> *ὦ δῖος αἰθὴρ καὶ ταχύπτεροι πνοαὶ*
> *ποταμῶν τε πηγαί, ποντίων τε κυμάτων*
> *ἀνήριθμον γέλασμα, παμμῆτόρ τε γῆ*
> *καὶ τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου καλῶ.*

Sic etiam Clemens Alex. Paedag. II, 10.85. *ἀπατῶνται δὲ εὖ μάλα τὸ φιλότεκνον τῆς παμμήτορος καὶ γενεσιουργοῦ φύσεως μὴ νοήσαντες.* Quo mirabilior significatio voca-

buli apud Soph. Ant. 1282, ubi nuntius de Eurydice Haemonis matre dicit:

γυνὴ τέθνηκε τοῦδε παμμήτωρ νεκροῦ
δύστηνος, ἄρτι νεοτόμοισιν πλήγμασιν.

Hoc loco prior compositi pars quasi pro adverbio (= *τὰ πάντα*) adhibetur. Recte enim interpretatur scholiasta: *ἡ κατὰ πάντα μήτηρ. ἐμφατικῶς δὲ εἶπεν, ὅτι καὶ μέχρι θανάτου μήτηρ ἐδείχθη μὴ ἑλομένη ζῆν μετὰ τὸν παιδὸς θάνατον*, i. e. Sophocli eandem fere vim habet huius vocabuli atque vocabuli *παντελὴς* prior pars.

παμβασιλεία. Non bene confert Iebbius vocabulum *παμβασιλεία*. Hoc enim in vocabulo prior pars pendet ab altera cf. Aristot. Politic. III, 16 (1287 a) *περὶ δὲ τῆς παμβασιλείας καλουμένης — αὕτη δ' ἐστὶ καθ' ἣν ἄρχει π ά ν τ ω ν κατὰ τὴν ἑαυτοῦ βούλησιν ὁ βασιλεὺς — δοκεῖ δέ τισιν οὐδὲ κατὰ φύσιν εἶναι τὸ κ ύ ρ ι ο ν ἕνα π ά ν τ ω ν τῶν πολιτῶν εἶναι ὅπου συνέστηκεν ἡ πόλις ἐξ ὁμοίων.* Sane fieri potest ac solet, ut is, qui omnium scilicet et hominum et rerum princeps est, etiam regnet *βασιλεὺς κατὰ πάντα.*

Verba timendi cum praepositione *πρὸ* composita (e. g. *προταρβεῖν, προδείδω, προδειμαίνω, προφοβεῖσθαι*) omnibus fere locis notant praemetuere cf. e. g. Soph. OT. 90:

οὔτε γὰρ θρασὺς
οὔτ' οὖν προδείσας εἰμὶ τῷ γε νῦν λόγῳ.

Sed cum praepositio *πρὸ* non solum significet „ante“ sed idem quoque notare possit atque praepositiones „*ἀντὶ*“ vel „*ὑπὲρ*“ (cf. *μάχεσθαι ὑπέρ τινὸς* et *πρό τινος*) etiam verbum compositum *προταρβεῖν* a Sophocle ita usurpatum est ut eius vis sit: timere alicui.

Ant. 82 dicit Ismena Antigonae sororis audaciam questa:

οἴμοι ταλαίνης, ὡς ὑ π ε ρ δ έ δ ο ι κ ά σου

et respondet Antigona:

μὴ 'μοῦ προτάρβει· τὸν σὸν ἐξόρθου πότμον.

Eiusdem generis sunt verba quibus providentia alicuius in alii cuiusdam usum facta significetur cf. e. g. *προσκοπεῖν* (Ant. 688 *σοῦ δ' οὖν πέφυκα πάντα προσκοπεῖν*) *προκήδεσθαι* (Ant. 741 *σοῦ γὰρ οὖν προκήδομαι*) *πρόνοια* (Ant. 283 *λέγεις γὰρ οὐκ ἀνεκτὰ δαίμονας λέγων πρόνοιαν ἴσχειν τοῦδε τοῦ νεκροῦ πέρι.* Sed contra *πρόνοια* = praesensio e. g. OT. 978:

τί δ' ἂν φοβοῖτ' ἄνθρωπος, ᾧ τὰ τῆς τύχης
κρατεῖ, πρόνοια δ' ἐστὶν οὐδενὸς σαφής;)

Peculiaris est etiam vocabuli *πρωτόγονος* usus qui apud Sophoclem invenitur. Cuius vocabuli propria significatio = natu maximus, quam Homerus habet (e. g. *Δ*. 120 *εὔχετο... ἀρνῶν πρωτογόνων ῥέξειν κλειτὴν ἑκατόμβην*) apud Sophoclem omnino non exstat. Nam uno loco quo Sophocles usurpavit vocabulum, alia est significatio: *πρωτόγονος.*

Phil. 180. *οὗτος, πρωτογόνων ἴσως*
οἴκων οὐδενὸς ὕστερος....
κεῖται.

Recte vertit scholiasta *πρωτογόνων*: *εὐγενῶν*. Priorem ergo compositi partem aliter Sophocles intellexit atque ceteri, scil. *πρῶτος* = nobilis.

Qui sensus vocabuli *πρῶτος* iam apud Homerum invenitur cf. e. g. Od. *ζ* 60.

καὶ δὲ σοὶ αὐτῷ ἔοικε μετὰ πρώτοισιν ἐόντα
βουλὰς βουλεύειν.

Etiam in ipsius Sophoclis OC. 1304:

ὅσοιπερ 'Απίας
πρῶτοι καλοῦνται καὶ τετίμηνται δορί

et aliis Sophoclis locis *πρῶτος* est qui genere vel dignitate princeps, ergo nobilis est.

χθόνιος. Adiectivum *χθόνιος* significare solet eum, qui in terra est; infernum. Quae res primo mirabilis videtur; substantivum *χθὼν* enim generatim non, ut inde iudicari potest, terrae pars interior est. Quae significatio apud Homerum omnino non exstat. Invenitur autem apud posteriores poetas. In Euripidis Hecuba e. g. conclamat infelix somnis malis perterrefacta Hecuba (v. 70):

ὦ πότνια Χθών,
μελανοπτερύγων μῆτερ ὀνείρων.

Hoc loco *χθὼν* notat orcum. Usitata tamen vocabuli significatio est: terra (cf. Soph. Tr. 811 *πάντων ἄριστον ἄνδρα τῶν ἐπὶ χθονὶ κτείνασ'*) solum terrestre et inde fines alicuius populi. Significatio tartari orci sine dubio non primaria sed deducta est. Euripides multas verborum coniunctiones in mente habuit huius generis: *χθόνα δύμεναι, ὁ κατὰ χθονὸς Ἀίδης, οἱ ὑπὸ χθονός, ὑπὸ χθονὸς κεκευθέναι*, quibus *χθὼν* sane significat solum terrestre, totius autem verborum conexus sensus est: in orco esse. Qua de causa ausus est Euripides vocabulo *χθὼν* orci significationem tribuere, praesertim cum adiectivo *χθόνιος* omnibus fere locis sensus sit: infernus. Exspectare autem debemus cum prior vocabuli *χθὼν* significatio sit terrae, etiam adiectivum *χθόνιος* ita usurpatum esse, ut notet terrestris. Et hic sensus exstat apud Aeschyl. Sept. 736 (*χθονία κόνις.*) Sophocles autem plus ausus est.

In Ai. v. 202:

ναὸς ἀρωγοὶ τῆς Αἴαντος
γενεᾶς χθονίων ἀπ' Ἐρεχθειδᾶν

χθόνιοι sunt quasi terra nati, *αὐτόχθονες*. Eodem modo

intellegenda est vocabuli significatio in Soph. OC. 948:

τοιοῦτον αὐτοῖς Ἄρεος εὔβουλον πάγον
ἐγὼ ξυνῄδη χθόνιον ὄνθ'.

Recte scholiasta: *ᾔδειν εὔβουλον ὄντα τὸν Ἄρειον πάγον· τοῦτον δὲ χθόνιον εἶπεν οἷον ἐγγενῆ καὶ αὐτόχθονα, ἐγχώριον, οὐχ ὡς οἱ ἐξηγησάμενοι οἴονται παρὰ τὸ τοὺς δικαζομένους ἐν αὐτῷ ὑπὸ τὴν χθόνα εἶναι. Χθόνιον τοίνυν τὸν αὐτόχθονα.*

Ceterum haec vocabuli vis etiam in ignoti poetae fragmento invenitur (tragg. fragm. 274 Nauck) *χθονίους Ἰναχίδας* quae verba Hesychius explicat: *αὐτόχθονας καὶ οὐκ ἐπηλύδας*[1]).

Caput VII.
DE NONNULLIS ADIECTIVIS COMPOSITIS.

Mirum in modum et Sophocles et reliqui poetae tragici utuntur nonnullis vocabulis compositis, quae a ceteris poetis ita usurpari solent, ut altera vocabuli compositi pars aut ab altera pendeat aut alteram explicet. Tragici contra ita his vocabulis utuntur ut non composita sed bina vocabula quae sui iuris sint esse videantur. Exempla quae afferre possum iam Iebbius collegit. Tamen hoc loco ea praeterire non possum.

In Ai. v. 251 legimus:

τοίας ἐρέσσουσιν ἀπειλὰς δικρατεῖς Ἀτρεῖδαι
καθ' ἡμῶν.

In scholiis explicantur *οἱ δικρατεῖς = οἱ δισσοί.*

---

1) Etiam in Euripidis Hec. v. 79 *ὦ χθόνιοι θεοὶ* intellegi debere *θεοὺς αὐτόχθονας* putat Ed. Schwartz.

Quam explicationem non sufficere manifestum est. Ad Ant. 145:

μητρός τε μιᾶς φύντε καθ' αὐτοῖν
δικρατεῖς λόγχας στήσαντ' ἔχετον
κοίνου θανάτου μέρος ἄμφω

duas explicationes praebent scholia: *δικρατεῖς λόγχας· ἀμφοτέρωθεν ἠκονημένας· ἢ δικρατεῖς φησιν ὅτι ἀλλήλους ἀπέκτειναν καὶ ἡ ἑκατέρου λόγχη οὐκ εἰς κενὸν ἀπεπέμφθη ἀλλ' ἐκράτησεν τοῦ ἑτέρου.* Quarum altera explicatio recta est. Et eodem modo illo Aiacis loco vocabulum explicari debet, i. e. *οἱ δικρατεῖς Ἀτρεῖδαι* sunt *οἱ δύο καὶ οἱ κρατοῦντες* sicut *αἱ δικρατεῖς λόγχαι* = *δύο καὶ κρατοῦσαι.* Simili modo OC. 1055 vocantur Antigona et Ismena *δίστολοι ἀδμῆτες ἀδελφαί,* h. e. *αἱ δύο καὶ αἱ στόλον ποιούμεναι.* Sed miror Iebbium pro vulgari significatione habuisse „*separately journeying*" cum notet bis proficiscentes vel profectos. Ceterum de his et similibus compositis conferas Iebbii annotationem ad OT. 846 (*εἰ δ' ἄνδρ' ἕν' οἰόζωνον αὐδήσει,* i. e. *ἕνα μόνον ἄνδρα εὔζωνον,* scil. *ἀνὴρ εὔζωνος* est *ὁ ὁδίτης*): „*οἰόζωνον, journeying alone. The peculiarity of the idiom is that the second part of the compound is equivalent to a separate epithet for the noun: i. e. οἰόζωνος 'with solitary girdle' signifies 'alone and girt up'. OC. 717 τῶν ἑκατομπόδων Νηρῄδων not 'with a hundred feet each' but 'countless and dancing'. ib. 17 πυκνόπτεροι ἀηδόνες not 'thickly-feathered' but 'many and winged' ib. 1055 διστόλους ἀδελφὰς not 'separately-journeying' Ai. 390 δισσάρχας βασιλῆς not 'diversely-reigning kings' but 'two reigning kings', Eur. Alc. 905 κόρος μονόπαις not 'a youth with one child' but 'a youth, his one child' Phoen. 683 διώνυμοι θεαὶ not 'goddesses with contrasted names' but 'several goddesses each of whom is invoked'. So I*

understand. Eur. Or. 1004 μονόπωλον 'Αῶ, Eos who drives her steeds alone (when moon and stars have dissappeared from the sky.).“

Sed ultima explicatio valde displicet. Si μονόπωλον dixit Auroram Euripides unum tantum equum ei esse dixit. Sane inde a Homero (Od. ψ. 244) apud omnes fere scriptores aut biga aut quadriga vehitur Aurora. Sed recentiores auctores Pegaso equo Auroram vectantem fingunt. cf Lycophron. 17.

'Ηὼς μὲν αἰπὺν ἄρτι Φηγίου πάγον
κραιπνοῖς ὑπερποτᾶτο Πηγάσου πνοαῖς.

Schol. Il. *Z.* 155 narravit Bellerophontem Iovis fulmine percussum, τὸν δὲ ἵππον (scil. Pegasum) λαβεῖν τὴν 'Ηῶ δεηθεῖσαν τοῦ Διὸς δῶρον πρὸς τὸ ἀκόπως περιιέναι τὰς τοῦ κόσμου περιόδους. ἡ δὲ ἱστορία παρ' Ἀσκληπιάδῃ ἐν Τραγῳδουμένοις. Eustath. ad. Hom. p. 1430, 12. (τὴν 'Ηῶ) ὁ μῦθος ἔποχον ἅρματι ἢ κελητίζουσαν ἐπὶ τοῦ Πηγάσου, ἔτι δὲ καὶ λαμπαδηφόρον πλάττει Tzetzes ad Lycophr. 17. οἱ δὲ νέοι τῷ Πηγάσῳ ἐποχουμένην αὐτὴν (τὴν 'Ηῶ) εἰσάγουσιν μυθικῶς, ὥσπερ καὶ ὁ Λυκόφρων.

Sed nihil obstat quominus putemus hoc iam Euripidi notum esse. 'Ηὼς μονόπωλος esse debet Aurora quae unum tantum equum habet, quo vehitur. Fortasse autem alter scholiasta recte explicat: ἔνιοι δὲ μονόπωλον οὐχὶ τὴν ἕνα πῶλον ἔχουσάν φασιν, ἀλλ' ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ καὶ μόνῃ, ἵν' ἢ ὁ Ἀτρεὺς τοῦτο ἐσχηκὼς κατὰ χάριν Διὸς, τὸ διὰ μιᾶς ἡμέρας τότε τὸν ἥλιον ἐκ δύσεως ἀνατεῖλαι καὶ τὰς Πλειάδας.

CAPUT VIII.

DE TERTIO ABUSIONUM GENERE.

Nonnulla apud Sophoclem inveniuntur adiectiva quibus *καταχρηστικῶς* usus est Sophocles, cum non propriam activam significationem sed passivam eis tribuerit

ὀλέθριος. Vocabulum *ὀλέθριος* plerumque active usurpatur vel de re vel de homine pernicioso. Passivam autem vim Sophocles tribuit vocabulo. Unum certe exemplum habemus in Trach. versu 878:

τάλαιν' ὀλέθρια· τίνι τρόπῳ θανεῖν σφέ φῄς;

Etiam in OT 1341 si cum Erfurdtio legis:

ἀπάγετ', ὦ φίλοι, τὸν μέγ' ὀλέθριον
τὸν καταρατότατον κτλ. [1])

passive intellegi vocabulum necesse est. Equidem laudo Schwartzii coniecturam: *τὸν ὄλεθρον μέγαν.*

σωτήριος. Idem dicendum est de adiectivo quod est *σωτήριος.* Usitata est activa significatio: salutifer. Passiva autem notatio invenitur OC. 487: *ὡς σφᾶς καλοῦμεν Εὐμενίδας, ἐξ εὐμενῶν στέρνων δέχεσθαι τὸν ἱκέτην σωτήριον.* Activa significatio vocabuli hoc loco esse non potest. Agitur enim de Oedipi non de chori et Atheniensium salute; quod apparet versibus 490 seqq.:

καὶ ταῦτά σοι
δράσαντι θαρσῶν ἂν παρασταίην ἐγώ·
ἄλλως δὲ δειμαίνοιμ' ἄν, ὦ ξέν' ἀμφί σοι.

Solus hic locus est quo passiva vocabuli significatio invenitur [2]). Qua re non pauci viri docti hoc quoque

---

1) Traditur *τὸν ὀλέθριον μέγαν* LA et plerique codd. *τὸν ὀλέθριον μέγα* B. E. T. Quae lectiones propter metrum ferri non possunt.

2) Exemplorum quae affert Godofredus Hermannus Ag. 665 *σωτηρίων δὲ πραγμάτων εὐάγγελον ἥκοντα.* Choeph. 234 *δακρυτὸς*

loco aut activam dederunt vim vocabulo aut coniecerunt (e. g. σωτηρίους scil. Εὐμενίδας). Defenditur autem passiva significatio vocabuli σωτήριος passiva adiectivi ὀλέθριος vi.

Neque de adiectivo πόμπιμος aliter iudicandum est. πόμπιμος. Dici solet activa significatione πόμπιμος is, qui mittere potest, cf. e. g. Soph. Tr. 560:

ὃς (Νέσσος)... βροτοὺς
μισθοῦ πόρευε χερσὶν οὔτε πομπίμοις
κώπαις ἐρέσσων οὔτε λαίφεσιν νεώς.

et. Eur. Hec. 1290:

καὶ γὰρ πνοὰς
πρὸς οἶκον ἤδη τάσδε πομπίμους ὁρῶ.

Inde significat eum qui hospitem bene et accipit et dimittit. cf. e. g. Phoen. 984:

τί δὴ τόδ' ἔρυμα μοι γενήσεται;
πόμπιμος ὁ δαίμων.

Med. 848: πῶς οὖν ... φίλων
πόμπιμός σε ·χώρα
τὰν παιδολέτειραν ἕξει;

Nonnullis tamen locis passivam significationem habet vocabulum: qui mitti potest vel qui missus est. Sic utitur vocabulo Sophocles in Trach. v. 872:

ὦ παῖδες, ὡς ἄρ' ἡμῖν οὐ σμικρῶν κακῶν
ἦρξεν τὸ δῶρον Ἡρακλεῖ τὸ πόμπιμον.

Schol: τὸ πόμπιμον· τὸ πεμφθέν· λέγει δὲ τὸν χιτῶνα

Eodem modo passive usus est vocabulo Euripides in Hippol. v. 579.

ἐλπὶς σπέρματος σωτηρίου alterum (Choeph.) certe falsum est, cum σπέρμα σωτήριον non salvum sed eum, in quo omnis spes atque salus posita est, significet, alterum autem nihil probare potest cum et activa et passiva significatione positum esse possit σωτηρίων πραγμάτων.

σὺ παρὰ κλῇθρα· σοὶ μέλει πομπίμα
φάτις δωμάτων.

περιπετής. Vocabulo περιπετὴς quod proprie activo sensu dicitur (apud Soph. e. g. Ant. 1223) ita usus est Aeschylus in Agam. vv. 241 seqq. ut quasi passiva significatio oriatur:

φράσεν δ' ἀόζοις πατὴρ μετ' εὐχὰν
δίκαν χιμαίρας ὕπερθε βωμοῦ
πέπλοισι περιπετῆ... λαβεῖν ἀέρδην

quo loco scholiasta vertit περιπετῆ· περιεσκεπασμένην. Audacissime vero a Sophocle dictum est vocabulum Ai 907: ἐν γάρ οἱ χθονὶ
πηκτὸν τόδ' ἔγχος περιπετὲς κατηγορεῖ,
ubi gladius corpore Aiacis quasi circumdatus intellegi debet, cf. 828:

πεπτῶτα τῷδε περὶ νεοῤῥάντῳ ξίφει.

Similia non tamen plane eiusdem generis invenies a Lobeckio ad Ai. 907 collata.

CAPUT IX. DE RELIQUIS, QUAE APUD SOPHOCLEM INVENIUNTUR ABUSIONIBUS.

ἄγος. ἄγος plerumque maculationem vel pollutionem significat. Inde ad personam transfertur, ut notetur homo piaculo maculatus.

OT. 1416. ἀλλ' εἰ τὰ θνητῶν μὴ καταισχύνεσθ' ἔτι
γένεθλα, τὴν γοῦν πάντα βόσκουσαν φλόγα
αἰδεῖσθ' ἄνακτος Ἡλίου τοιόνδ' ἄγος
ἀκάλυπτον οὕτω δεικνύναι.

Miro autem modo non pollutionem vel pollutum hominem sed sacrum piaculare significat duobus Sophoclis locis Ant. 173. ἄγων ἔρημος ἔνϑ' ἂν ᾖ βροτῶν στίβος
κρύψω πετρώδει ζῶσαν ἐν κατώρυχι,
φορβῆς τοσοῦτον ὡς ἄγος μόνον προϑείς,
ὅπως μίασμα πᾶσ' ὑπεκφύγῃ πόλις.

cf. schol.: ἔϑος παλαιὸν ὥστε τὸν βουλόμενον καϑειργνύναι τινὰ ἀφοσιοῦσϑαι βραχὺ τιϑέντα τροφῆς καὶ ὑπενόουν κάϑαρσιν τὸ τοιοῦτο μὴ δοκῶσι λιμῷ ἀναιρεῖν· τοῦτο γὰρ ἀσεβές. Idem sensus inest vocabulo in Phaedrae fragmento 627 Hesych. ἄγος· ἅγνισμα ϑυσίας. Σοφοκλῆς Φαίδρᾳ cf. Anecdot. Bekk. p. 330, 31. ἄγος — σημαίνει δὲ καὶ ἅγνισμα καὶ ϑυσίαν.

Curtius Et. p. 170. duo vocabula distinxit. 1) ἀγ- ἄγος = culpa, delictum. 2) ἅγ- ἅγος sacrificium. Quae explicatio vix defendi potest. Notum est etiam vocabulum, quod est „piaculum" a scriptoribus Latinis non semper ita usurpatum esse, ut significetur sacrificium quo aliquis expietur, sed et alios et Livium piaculum pro pollutione vel crimine habuisse. Manifestum est id quod expiatur prius esse quam sacrificium quo expiatur. Ergo et vocabulorum „piaculum" et „ἄγος" propria erat significatio maculationis criminis. Sophocles igitur et illo Antigonae loco et in Phaedrae fragmento recentem atque novum significatum dedit vocabulo ἄγος.

Idem dicendum est de vocabulis ἐναγής et ἐναγίζειν ἐναγής. Proprie significare debet ἐναγὴς maculatum pollutum. Quae usitata est vocabuli vis. Alius autem est sensus vocabuli in Aesch. Suppl. 122:

ϑεοῖς δ' ἐναγέα τέλεα πελομένων καλῶς
ἐπίδρομ', ὁπόϑι ϑάνατος ἐπῇ.

ἐναγέα τέλεα sunt sacra sacrificia, quae deis promittunt homines, ubi periculum adest. Quo modo abusio fieri

potuerit apparet. Si homines quae promiserunt deis non faciunt, maculati sunt. Eodem modo in Soph. OT. 656. ἐναγὴς φίλος est is, qui iure iurando contendit, se nil mali fecisse (cf. 644), qui ergo ut scholiasta vertit καθαρός est.

ἐναγίζειν. ἐναγίζειν autem fere semper significat sacrificare aliquid mortuis, scil. sacrificio omisso maculantur homines.

OC. 698:

ἔστιν δ' οἷον ἐγὼ γᾶς Ἀσίας οὐκ ἐπακούω
οὐδ' ἐν τᾷ μεγάλᾳ Δωρίδι νάσῳ Πέλοπος πώποτε βλαστόν,
φύτευμ' ἀχείρωτον αὐτοποιόν.

ἀχείρωτος. Lectio ἀχείρωτον non sola tradita est, sed in LFR² et in scholiis invenitur ἀχείρητον. ἀχείρωτον autem etiam Pollux habet, qui vertit (II, 154) ἀχειρούργητον. Sed id quaerendum est utrum ἀχείρωτος idem significare possit ac ἀχειρούργητος necne. Aliis semper locis exstat significatio invicti. Quem sensum hic quoque vocabulo dedisse videntur scholiastae et viri docti dant. Miror autem horum in primis Iebbii interpretationem: „*While βλαστὸν refers to the miraculous creation of the olive by Athena (sic!) αὐτοποιὸν refers (I think) to its miraculous self-renewal after the Persians had burnt it. Herodot VIII, 55. δευτέρῃ τε ἡμέρῃ ἀπὸ τῆς ἐμπρήσιος Ἀθηναίων οἱ θύειν ὑπὸ βασιλέος κελευόμενοι ὡς ἀνέβησαν ἐς τὸ ἱρόν, ὥρων βλαστὸν ἐκ τοῦ στελέχεος ὅσον τε πηχυαῖον ἀναδεδραμηκότα. This connection of ideas is further indicated by the next phrase ἐγχέων φόβημα δαΐων. For αὐτοποιὸς as self-produced (i. e. producing itself from itself*(!)*)* cp. *αὐτοτόκος, αὐτόφαγος, αὐτόφονος*". Quae de vocabuli *αὐτοποιὸς* significatione dixit Iebbius, recte. Sed quomodo idem vocabulum notare potest: se

ipsum r e creans? Et valde mira est Iebbii interpretatio vocabuli βλαστὸν quod ad mirabundam olivae creationem spectare contendit. Dixit autem chorus: habemus, quod neque ut equidem fama novi in Asia neque in Peloponneso natum est (βλαστόν), scil. φύτευμα ἀχείρωτον αὐτοποιόν. Mirabunda creatio significatur vocabulo αὐτοποιόν. Tum vero ἀχείρωτον invictum notare non potest, sed pertinere debet ad αὐτοποιόν, ut recte intellexit Hermannus Pollucis interpretatione probata: Plantatio non cuiusquam manu sed per se ipsam facta intellegitur, quod est αὐτοποιόν. Sane ἀχείρωτος hac notatione apud ceteros non legitur. Qua de causa et veteres ἀχείρητον scripsisse mihi videntur et Dindorfius hanc lectionem probavit. Sed cum ipsius Sophoclis loquendi audacia defenditur abusio tum Aeschyli auctoritate. Nam cum χείρωμα semper fere significet id quod victum aut expugnatum est, in Aesch. Sept. 1022: χείρωμα.

καὶ μήθ' ὁμαρτεῖν τυμβοχόα χειρώματα

(sc. δοκεῖ) notat id, quod manibus factum est. Apparet ergo et Aeschylum et Sophoclem locis collatis vocabula χείρωμα et ἀχείρωτος ab activo χειρόω non a medio, ut solent, χειροῦσθαι derivasse.

Similis est abusio quam in substantivo προσθήκη sibi permisit Sophocles. Quod vocabulum significare solet additamentum. (In carminibus epicis non exstat). Aesch. Ag. 500: προσθήκη.

εὖ γὰρ πρὸς εὖ φανεῖσι προσθήκη πέλοι.

Arist. Rhet. I, 2. αἱ δὲ πίστεις ἔντεχνόν ἐστι μόνον, τὰ δ' ἄλλα προσθῆκαι. Alexis apud Plutarch: quomodo adolescens poetas audire debeat p. 21 E. (frg. com. III, 518):

τὰς ἡδονὰς δεῖ συλλέγειν τὸν σώφρονα.
τρεῖς δ' εἰσὶν αἵγε τὴν δύναμιν κεκτημέναι
τὴν ὡς ἀληθῶς συντελοῦσαν τῷ βίῳ,
τὸ φαγεῖν τὸ πιεῖν τὸ τῆς Ἀφροδίτης τυγχάνειν.
τὰ δ' ἄλλα προσθήκας ἅπαντα χρὴ καλεῖν.

Sic Herodoto significat προσθήκη excursum IV, 30. προσθήκας γὰρ δή μοι ὁ λόγος ἐξ ἀρχῆς ἐδίζητο. Quibus scriptoribus ductum esse vocabulum a verbo quod est προστιθέναι cognoscas. Sophocles autem alium sensum dedit vocabulo OT. 38:

καὶ ταῦτ' ὑφ' ἡμῶν οὐδὲν ἐξειδὼς πλέον
οὐδ' ἐκδιδαχθεὶς, ἀλλὰ προσθήκῃ θεοῦ
λέγει νομίζει θ' ἡμὶν ὀρθῶσαι βίον.

Recte interpretantur scholia: συμβουλῇ ἐπικουρίᾳ. Quae significatio ad activi verbi προστιθέναι sensum referri non debet. Convenit autem medii προστίθεσθαι significatio. Nam verbo προστίθεσθαι et alii posteriores utuntur pro eo quod est: se adiungere adiuvare et ipse Sophocles OC. 1332:

οἷς ἂν σὺ προσθῇ, τοῖσδ' ἔφασκ' εἶναι κράτος.

Et sane e significatione sui alicui addendi perfacile adiuvandi significatio fieri potuit.

κόνις. κόνις Homero est pulvis. Quam significationem habent etiam ceteri apud quos invenitur vocabulum. Sophocli autem notat etiam solum terrestre. In El. enim versu 435 idem esse debet κόνις atque γῆ:

ἀλλ' ἢ πνοαῖσιν ἢ βαθυσκαφεῖ κόνει
κρύψον νιν (sc. κτερίσματα et λουτρά.).

Sane minus gravis fit abusio addito adiectivo βαθυσκαφεῖ. Audacter autem sine eiusmodi adiectivo positum est vocabulum in fragm. incert 873. Strabo IX p. 399 narrat: ἐνταῦθα δέ που καὶ τὸ Ἀμφιάρειόν ἐστι τετιμη-

μένον ποτὲ μαντεῖον ὅπου φυγόντα τὸν Ἀμφιάρεων, ὥς φησι Σοφοκλῆς: ἐδέξατο ῥαγεῖσα Θηβαία κόνις

αὐτοῖσιν ὅπλοις καὶ τετραόρῳ δίφρῳ.

Neque hoc loco aliud significare potest vocabulum quam *ἡ γῆ*.

Singularis est significatio vocabuli *μηκύνειν* Soph. OC. 489. Hortatur chorus ut Oedipus precibus adeat Eumenidas quae eum servent: *μηκύνειν.*

αἰτοῦ σύ τ' αὐτὸς κεἴ τις ἄλλος ἀντί σου
ἄπυστα φωνῶν μηδὲ μηκύνων βοήν.

Scholiasta explicat sub lemmate *ἄπυστα φωνῶν*: *ἀνήκουστα ἀντὶ ἠρέμα καὶ συντόμως. συντόμως* scil. ad *μηκύνειν βοήν* referri debet, quod interpretatus est scholiasta: amplius loqui. Qui sensus sane his vocabulis inesse potest, tamen illa explicatio huic loco non convenit. Non enim de precum longitudine vel breuitate loquitur chorus sed Oedipum adhortatus est ne magna voce quid petat ab Eumenidibus. cf. 131 seqq.

ἀδέρκτως, ἀφώνως, ἀλόγως τὸ τᾶς
εὐφάμου στόμα φροντίδος ἱέντες.

Quomodo autem e longitudinis significatu fieri potuerit significatio magna voce clamandi ab Homero docemur. Persaepe enim ita usus est vocabulis *μακρὸν ἀυτεῖν* (*B*. 224, *Γ*. 81, *E*. 101, 283, 347 etc.), ut sensus sit clara voce clamare. Qui enim magna voce clamat procul audiri potest. Inde Sophocles Homerum imitatus vocabulis *μηκύνειν βοὴν* tribuit significationem vocem magnam edendi. Audacius vero dictum est adiectivum *παμμήκης* *παμμήκης.* in eiusdem fabulae versu 1609

κλαῖον οὐδ' ἀνίεσαν
στέρνων ἀραγμοὺς οὐδὲ παμμήκεις γόους.

Quo loco *γόοι παμμήκεις* esse debent eiulatus summa

voce editi. Et hoc loco poetam tragicum usum Homericum imitatum esse manifestum est.

νόστος. Vocabulo quod est *νόστος* plerumque notatur reditus. Sed iam apud Homerum alia vocabuli vis invenitur.

ε. 344. Leucothea Ulixem adhortatur:

εἵματα ταῦτ' ἀποδὺς σχεδίην ἀνέμοισι φέρεσθαι
κάλλιπ', ἀτὰρ χείρεσσι νέων ἐπιμαίεο νόστου
γαίης Φαιήκων.

In ι 37 Ulixes ab Alcinoo rogatus, ut narret quomodo in Phaeacorum terram pervenerit, respondet:

εἰ δ' ἄγε τοι καὶ νόστον ἐμὸν πολυκηδέ' ἐνίσπω
ὅν μοι Ζεὺς ἐφέηκεν ἀπὸ Τροίηθεν ἰόντι.

quo loco sane usitata reditus significatio subest. Tamen et hoc et altero loco *νόστον* notare iter, viam puto. Certe poetae tragici ita interpretati sunt. Nam cum apud Sophoclem reditum significare soleat vocabulum uno Phil. 43 loco ita usurpatum est ut significetur iter:

ἀλλ' ἢ 'πὶ φορβῆς νόστον ἐξελήλυθεν
ἢ φύλλον εἴ τι νώδυνον κάτοιδέ που[1]).

Etiam Euripides hac significatione usus est.

cf. I. A. 965. *ἔδωκα τἂν Ἕλλησιν, εἰ πρὸς Ἴλιον*
ἐν τῷδ' ἔκαμνε νόστος.

I. A. 1261. *οἷς νόστος οὐκ ἔστ' Ἰλίου πύργους ἔπι*
εἰ μή σε θύσω.

---

1) *φορβῆς* est genetivus qui dicitur obiectivus. Dicitur de fine itineris cf. e. g. Orph. Argonaut. 200. *Ἀγκαῖον πέμψε πατὴρ γηραιὸς ἐπὶ πλόον Ἀξείνοιο.* 144. *νόστον τ' οἴκοιο λαθέσθαι*; imprimis autem defenditur illo versu Od. ε. 344, quem ni fallor neglexerunt viri docti.

Denique in Rhes. 425 dicit Rhesus:

ἀλλ' ἀγχιτέρμων γαῖά μοι, Σκύθης λεὼς
μέλλοντι νόστον τὸν πρὸς Ἴλιον περᾶν
ξυνῆψε πόλεμον.

Etiam vocabulo *τετράορος* non usitata est significatio apud Sophoclem. Apud Homerum enim solo versu Od. *ν*. 81 quo dictum exstat vocabulum *τετράορος.*

ἡ δ' ὥς τ' ἐν πεδίῳ τετράοροι ἄρσενες ἵπποι
πάντες ἅμ' ὁρμηθέντες ὑπὸ πληγῇσιν ἱμάσθλης

significat quadriiuges. cf. scholia: *τετράοροι· τετράσειροι, τέσσαρες ἐξευγμένοι ἵπποι.* Ita non raro dictum est vocabulum a poetis. Inde autem transfertur ad currum, qui ab his equis trahitur, ut sit e. g. *ἅρμα τέτρωρον* = quadriga. Etiam haec significatio saepe invenitur. Quomodo interpretati sint veteres grammatici vocabulum docemur e. g. scholl. ad Euripidis Alcestin 483. *ἀντὶ τοῦ τετράορον, ὅταν ὦσιν τέσσαρες ἵπποι ἐξευγμένοι καὶ συνωρὶς δὲ ὅταν ἕτερος ἑτέρῳ συνεξευγμένος ᾖ· ἀπὸ τούτου καὶ συνάορος ἡ γυνὴ λέγεται, ἡ συνηρτημένη καὶ συνεζευγμένη.* Contulerunt ergo *τετράορος* cum verbo *ἄρω* vel *ἀραρίσκω.*

Quibus a significationibus autem valde discrepat Sophoclis Tr. 507 *ὑψικέρω τετραόρου φάσμα ταύρου.*

Loquitur poeta de Acheloo cui tauri forma est. Recte intellexisse videtur scholiasta, qui vertit *τετραόρου· τετρασκελοῦς.* Interpretatus ergo est Sophocles vocabulum: ὃς *ἐπὶ τέτταρσι σκέλεσι ἐπαίρεται.*

Substantivum *τροφὴ* apud Homerum non invenitur, *τροφή.* Sophocli et ceteris proprie est alimentum. Deinde autem idem significat atque victus et vitae ratio (El. 1183. OC 329 OC. 1687 etc.). Hinc etiam compluribus locis significatio victus fit. In Phil. 1126 arcus dicitur

τροφή, quia comparat victum. Singulariter autem dictum exstat vocabulum in OT. v. 1. *ὦ τέκνα, Κάδμου τοῦ πάλαι νέα τροφή*; quo loco *τροφὴ* (abstractum pro concreto) significat *τὰ θρέμματα, τὰ ἐκτεθρεμμένα*. Eodem modo Euripides in Cycl. v. 189 habet *ἀρνῶν τροφαὶ* = *ἄρνες ἐκτεθραμμέναι*.

Passivam ergo significationem ll. cc. Sophocles et Euripides dederunt vocabulo, cum activo sensu usurpari soleat.

INDEX VERBORUM.

INDEX LOCORUM.

VITA.

Natus sum Ludovicus (Gustavus Eduardus) Kugler a. d. XVIII. Kal. Sept. a. MDCCCLXXXII Hannoverae, patre Carolo, matre Dora e gente Soite. Fidei addictus sum Christianorum, confessioni Luthericae. Inde ab anno XCII in urbe patria gymnasium frequentari quod vocatur Lyceum I. Vere anni MCMI. maturitatis testimonio instructus Gottingam me ccntuli ut antiquitatis studio me darem. Vere anni MCMIII. Berolinam migravi, unde autumno eiusdem anni redii.

Docuerunt me viri doctissimi: Baumann, Bousset, Busolt, Dilthey, Knoke, Leo, E. Müller, W. Schulze, E. Schwartz, Tschackert, Wackernagel, Wentzel Gottingenses, M. Friedländer, B. Graef, Kekule de Stradonitz, E. Meyer, U. de Wilamowitz-Moellendorff, W. Schulze Berolinenses.

Proseminarii regii philologorum Gottingensis per duo semestria sodalis fui, seminarii per tria semestria, seminarii archaeologici moderante C. Dilthey per sex semestria, quorum per unum senior et adiutur. Praeterea ad exercitationes benigne me admiserunt: Busolt historicas, Kekule Graef archaeologicas, W. Schulze Wackernagel grammaticas.

Viris qui me docuerunt omnibus debitas gratias refero, imprimis Friderico Leo qui a studiorum rudi-

mento me fovit, Eduardo Schwartz et Jacobo Wackernagel, qui summa cum benevolentia me adiuverunt et opera et consilio. Caroli Dilthey autem ut vere discipulus nominer omnibus ut potero viribus me contenturum spondeo.

Denique me societatum philologorum Gottingensium et Berolinensium sodalem fuisse grato animo mihi liceat commemorare.